


PROPVGNACVLVM SVMMI SAcerdotij euangelici, ac septenarij sacramentorum,

editum per uirum eruditum, sacrarumque literarũ professorem Edoardũ Pouelum, aduersus Martinũ Lutherum fratrem famosum et VViclefistam insignem.

GVIL. DYNHAMI IN LVTHE-RVM EPIGRAMMA.

Et cum Mosęo fuerat tibi pugna Luthere,
Et tibi cum Christo pugna Luthere fuit.
Concilium ecclesiæ tutum sine uulnere mansit:
Et tibi deuicto gloria nulla manet.
In tua conuersus tu tandem membra Lutherus
Arma capis pugnā, te duce, uictor agens.
Quęris iter tendas quo nigri in tartara regis?
Hæc tua qua monstrat semita carpe uiam.

PAPYRIVS GEMINVS ELIATES LECTORI SALVTEM.



XISTIMANT pleriq; mortales rem futuram maxime memorabilem ędita pugna pro republica, uincere: cęsis aut fugatis hostibus rem integram ciuibus restituere, opimis spolijs ornare urbem, eamq; mœnibus cingere, adeo firmis: ut nulla deinde ui expugnari possit. Atqui maiorem gloriam merentur hi, qui pietatem, sacroq; sanctam christianam rempub. eloquentiæ doctrinæq; uiribus eo animo tueantur: ut quantumuis magnos seditiosorum impetus non modo ferre ualeant: sed et aduersarios propellere, circumfundere, proprijsq; armis iugulare. non eos, qui eiusmodi faciunt: appellabis uiros fortissimos dignosque quibus apparatissimus triumphus decernatur? Horum principem habes Henricum Angliæ et Franciæ regem, ędito opere aduersus Martinum Lutherum, a summo Pont. Defensorem fidei appellatum: cuius incredibileis, tum corporis, tũ animi dotes, si examussim perpenderis: habebis quem facile imperatorũ optimis comparare possis. nempe corporis habitu est prope heroico, maiestate antiqua, in qua tamen uenustatis nonnihil, dignitatis plurimum nitet: tantæ pręterea mansuetudinis atq; clementię, ut facile neminem antiquorũ principum reperies, cui non hic noster in id genus laude antecellat: taceo quantũ possit in re militari: cum nemo ferme mortalium sit, qui nõ eius res fortissime gestas aperte cognouerit. reliqua si cupias agnoscere: eius Assertionem, quam in Lutherum composuit,

 perlegito.

perlegito. eandem profecto deam, quę Periclis Atheniensis labris insedisse fertur, in nostri principis latere stilo profiteberis. nec eget talis imperator in tam arduo negocio expeditis militibus, qui prelianti duci auxilium ferre possunt: inter quos (ut cæteros taceam) Pouelus Cæsarisburgensis theologus, qui hunc librum ędidit subsidiarium, dicauitq; principi: ne uideretur traditam a deo pecuniam per ignauiam abscondere, quam distribuendam acceperat. Crede mihi, si totum opus euolueris, nihil reperies, quod tuis, quantumuis delicatis, auribus non faciet satis: modo christianus sis: cum præter modestiam quæ in eo nusq̃ non est, probabis industriam: q doctrinæ tam exactę eloquentiam tersam, mansuetam, luculentam coaptauerit. ubiq; dulcis: plerunq; tamen acer ac uehemens, nec nisi furente aduersario, extraq; ordinem strepente conuitia: etiam tunc potius dolorem facit, q̃ nocet. alias tam placabili sedatoq; sermone rem agit: ut atrocissimo cuiuis ingenio persuadere posse uideatur. hunc librū Propugnaculum uocat sacramentorū, q exeo fortissimusq; quis, ueluti e murorū minis, propugnare possit. Hoc unum amice lector pro tua prudentia admonebo, ne præcipitem nimis in hoc opere censuram agas, nostratiū quorūdā more, qui ex alienis erroribus trophæa erigunt: licet ij ipsi maxime desipiant, cū sibi optime sapere uideantur: sed semel perlecto uolumine, sensim cum argumēto, authoris cum uires tum conatus expendito. siquidem inter legendum erratulum offenderis, uel scriptoris somnolentia, uel impressoris incuria prętermissum: non ob id

librum

librum protinus abijcias: quod arrogantium esse solet: uerũ siliqua fracta (ut aiunt) mox nucleum gustes: illud ex uera theologia probatissimisq; rationibus esse non negabis. Solœcismos, aut eiusmodi leuicula in theologorũ libris notare, curiosi plus est, q̃ diserti. parum profecto amico prestare uideberis, si tibi tot noctium partam operã impudenter deuoraueris: quod ne faxis communis religio candorq; ingenij admonebunt. Vale.

EDOARDI POVELI IN LIBRVM SVVM PRAEFATIO.



QVVM EGO iamdudum opus sane christianũ et apprime catholicũ, quod in Lutherum illustrissimus Anglorum rex HENRICVS huius nominis octauus, summo mirandoq; ingenio ędidit, accepissem: acceptumq; diligẽtius recognorim: non putaui equidem in tanta re mihi tacendum: nõ q; existimarem opus regium tã omnibus numeris absolutum, neruis ullis carere: quibus Lutherum prȩmat pessundetq;: sed q; mihi certe ignauũ pariter et turpe esse uidebatur: uelle militem oscitare in castris, pugnãte imperatore in acie. Et q̃uis Parisienses illi uiri utiq; doctissimi, Lutherum istum arbitrentur indignum: cõtra quem scribatur: propterea q; non solum VVyclefistarum et Hussitarum, sed etiam uetustissimos hȩreticorũ pugnaces

ces errores (quos olim Christi ecclesia fudit eneruarat q;) denuo iam in arenã reuocat. Et iccirco hominem tã impiũ flammis q̃ argumentis potius examinandum. Tamen cũ
Prouer. 26. ego Solomonicum illud tacitus mecum cõsydero: Respõde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens uideatur. Nihil mea quidem sententia absurditatis consequens fuerit: si contra Estherũ, tanto fastu tumentem, sic modo aliquid conscribatur: ut eum a scripturarum canone exorbitare, et passim cum se ipso turpiter pugnare, palam doceatur. Nec enim contemnendus est: Nã quis scit: si conuer-
Ione. 3. tatur et ignoscat deus, et relinquat post se benedictionẽ?
Eccles. 7. Deus enim patiens et misericors est: et fratrẽ uult a fratre iuuari: quia unicuiq; mandauit deus de proximo. Et iccir-
1. rgum. 9. co si Sauli paternas olim asinas indaganti, tametsi non inuenienti, Israeletici tamen regni diademate deus in mũdo ornauit: nobis uero christianum asinum (qui toto iam errauit orbe) si sedulo quæramus: Christus ipse nihil in cælo prestabit? Proinde licet non desunt, qui putent in Lutherum iam longius aberrantem nihil prorsus scribendũ: meo tamen iudicio aduersus Lutherum scribere (modo id sobrie, et cum charitate fiat) tantum abest a culpa: ut etiã tacere sit nephas. Huius quippe muneris partes primas egit Anglorum rex: in Lutherum librum condens talem, qualem mirari satis, laudare satis, certe quis facile non potest. Cuius ego quidem exemplo maxime prouocatus: cœpi iam (deo auspice) ex canone biblico (aliud siquidem pro accepto nihil habet Lutherus) aduersus lutheranos errores agere: si forte sacris ex canone auditis literis (deo

miserante

miserante et sibi propitio) iam tandem resipiscat: demũq; ad uiam redeat. Nec aliud profecto modo in hac re uel uigilantius, uel certe studiosius mihi curandum fuerat: q̃ ut in primis quædam errorum male iacta fundamenta, quibus uniuersa lutheranę hæresis strues nititur: ante omnia fũditus demolirer: ac deinde scripturas, male ab eo inuersas, atq; peruerse quoq; pro sua libidine in obliquum deflexas: ad rectitudinem et sanum ueritatis sensum reducerem. Postremo uero, ut q̃ turpia ac deniq; fœda uerborũ pariter et sententiarum bella sibi ipsi passim indicit: palam nudarem. Verum ista, ut ad clariorem lectoris intelligentiam cõsummatius absoluam: censeo equidem sermones primo Lutheri ad uerbũ fideliter ponendos: ne, quod ipse alijs facit: a nobis male excogitata, ueluti ab eo dicta, falso cõqueratur sibi fuisse obiecta. Ac deinde mox nostra illis supponenda: ut eo demum pacto, q̃ prophane, q̃q; impie de christiana fide ipse senserit: multo clarius poterit elucere. Nec certe hanc ędití operis lucubrationem (præsertim cum in eo de suprema fide agatur) aliorum quandoque oculis ante porrigendam putarim: q̃ eruditissimo Oxoniensium (qui omnium humanarum pariter ac diuinarum rerum cognitione splendidissime refulgent) iudicio in cunctis probaretur: hoc est rerum in eo sensus: an passim sani ueriq; existant. Lutheranę hęresis fundamenta perperam locata: an ab imo stirpe radicitus euulsa. Scripturæ ab eo in sinistrũ nequiter tortæ: an denuo synceriter ad dextrum reductę. Argumẽta in illum acta: an explorantur undiq; bene robusta et ualida. Respõsiones

in sua

in sua sophismata: an abunde in singulis faciunt satis. Ista enim omnia Oxoniensium examini, qui summarum rerum sapientissimi censores semper extitere: committenda esse censeo: ut singula ipsi ad amussim considerent: atq; seuera quidē sui iudicij lance cuncta ita trutinent: ut si quid forte in ijs minus perite sit scriptum, aut castigatione fuerit dignum: maturius reforment: et ad quadrum redigant: quo et ipsi in ea re ob prouinciam susceptam sibi laudem et gloriam pariāt: et opus quod eorum authoritate castigatum et firmatū extiterit: alij accipiant iucūdius, et legant libētius.

DE SVMMO PONTIFICIO EVANGElico, et ueritate sacramenti altaris, contra Martinum Lutherum fratrem uere famosum et VViclefistam insignem liber primus.

POVELVS.



EMINI Christianorum (uti mea fert opinio) adeo cęcutit acies: quin facile uidiat seruatorem nostrum Christum: qui operatus est salutem in medio terrę: uniuersa sua opera in mundo ideo a charitate inchoasse et in humilitate consummasse: ut suo exemplo nos itidē facere doceret: et non apponeret ultra magnificare se homo super terram. At uero Lutherus longe alia uia incedit: cōtrarioq́ itinere nititur: a malitia incipiens, et in superbiā finiens: id ipsum q̄ uerum sit: primum suæ orationis auspicium edocet. Quippe hoc habet ipse, sui sermonis initium.

Psalmo. 73.

Humili calle incedit Christus.

Psalmo. 17.

Superba semita obambulat Lutherus.

LVTHERVS.

VTINAM a Bibliopolis queam impetrare, ut uniuersos libros meos de indulgentijs exurant: et pro omnibus, quæ de eis scripsi, hanc propositionem apprehendāt. Indulgentię sunt adulatorū Romanorū nequitię.

Vitrū incudi bellum indicit.

Os tuum loquutum est superbiam.

POVELVS.

DE indulgentijs (quas uocant) aliquādo scripsisse (sicuti modo audistis) Lutherū ualde pœnitet: sed sero

Sera Lutheri pœnitentia.

ſapiunt friges. Codicillos male ab eo lucubratos flammis abſumi rogat: quia forte eorum authorem antea faces bene meruiſſe ſatis ipſe nouerat. Conſcientia enim eſt mille teſtes. Nam ſi catholica ſunt, quę ſcripſit: cur exurantur? Sin uero hęretica: cur erum author nō prior flammis datur? Indulgentias appellat nequitias, homo in Chriſti eccleſiam parū modeſtus: nec malitię ſuę nequitiam diſſimulans: qui nihil erubuit ſtatim in ipſo exordio, tantam in res ſacras uirulentiam euomere: quātam in prophanas non decuit: uenenato libelli primordio uirulentum fore exitum promittens. Qui etiam (uti reor) contra uenias ac cōdonationes iccirco acrius eſt inuectus, cornix aquilam prouocans: quia nec a Chriſto, nec a ſuffecto ſibi uicario, forte ueniam conſecuturum ſe aliquando ſperabat. Proinde cum incepti operis malitiam tenetis: quanta in fine ſuperbia inflatur, ex ſuis iam uerbis accipite.

Lutheri uirulentia.

LVTHERVS.

AVDITVM enim audio: paratas eſſe denuo in me bullas diras papiſticas: quibus ad reuocationem urgear: aut hęreticus declarer: quę ſi uera ſunt: ne ipſi ſuam tyrannidem fruſtra inflatam quęrantur: propediem librū ęditurus ſum talē: qualem hactenus nec uiderit: nec audierit Romana ſedes: in eo obedientiam meam abunde teſtaturus.

Mus leonē ſtimulat.

Larua rem terroribus agit.

Quid gloriaris in malitia.

POVELVS.

SVSCEPIT iam Lutherus pugnā: ſuis uiribus longe profecto imparem, qui ſi ante initum certamen, futurum belli exitū prudenter expendiſſet: nunq̄ haud dubie

Pugna i malum Lutheri orſa.

bie pugnasset pigmęus in Herculem: Lutherus in pontificem: fraterculus in Christi ecclesiam. Verũ ut assolet furor et indignatio ministrarunt sibi audatiam, auxeruntq; temeritatem. Nam in ipso initio contra Romanã sedem, quæ potuit, pro uiribus superbe tentauit. Nunc uero in fine, quod minime potest: superbius minatur: (etsi leonẽ larua non terreat) Intentat enim cælum minis territans propediem se nouum quiddam seculis inauditum. (quod Romanæ sedi displiceat) scripturum. Verum illud nescio quid foret: nisi forte id sit, quod puto: ut (quia hactenus parum in VVicleso suo profecerit: contra sacramenta ecclesiæ et Romanam sedem impie scribens: conabitur deinceps Arrium exhumare: ac denuo illum ab inferis euocare: ut contra diuinas personas noua molimina tentet. Quod certe uerum esse, uel ex eo consequi cõiectura quis facile possit: quoniam in libello isto Babylonico, diuinam substantiam inficiatur ingenitam: sed generare simul et generari omnino contendit: ut anceps non sit uelle eum in diuinis personis substantiam separare: et hoc arbitror idipsum esse: in quo est ipse obedientiã suam in Romanam ecclesiam abunde testaturus: licet elephas indus culicem non curet. Quamobrem cum operis sui initiũ sit malitia: et finis superbia: quibus nec medium dissimile: quis rogo tam cæcutientibus est oculis: qui non palã uideat homulum istum, qui pro charitate malitiam, pro humilitate superbiam complectitur: in ijs, quæ gerit, non Christo, sed diabolo auriga ferri? Et iccirco mirum non esse, si nauem in hęresum scopulos impegerit: qui talem

Minas igniuomas spirat Luther⁹

Apostatica Lutheri obedientia.

ſibi nauclerum delegit: ſed iam ad initiũ reuertentes, quid ipſe de ſummo pontificio dicat: diligenter diſcutiamus.

LVTHERVS.

Turbat⁹ eſt in ira oculus tuus.

NEMPE papatum cum negaſſem diuini: admiſi eſſe humani iuris: ſed ſcio nũc, et certus ſum: papatum regnum eſſe babylonis: et potentiam Nembroth robuſti uenatoris. Proinde oro librarios: oro lectores; ut ijs, quę ſuper hac re ędidi, exuſtis: hanc prępoſitionem teneant: papatus eſt robuſta uenatio Romani epiſcopi.

Os tuum abundauit malitia.

POVELVS.

LVTHERVS, qui paulo ante papatum, quem uocant, humani eſſe iuris admiſerat: nunc ira percitus, et mutata ſententia, illum modo contendat aliud eſſe nihil, q̃ uiolentam uſurpatamq; tyrannidem, adeo mus leonem ad certamen urget: quia ſcio, inquit, et certus ſum: papatum eſſe regnũ Babylonis, et potentiam Nembroth robuſti uenatoris. Ecce malitia: en furor cæcus Lutheri, qui deficiente iã ſibi argumento, quid aliud agit niſi quod ad conuitia (ut perpetuus illi mos eſt) et probra ſe ilico uertat: quod patens eſt ſignum hominis. et ueritate ſimul et ratione deſtituti: proinde demiror equidem plurimum quomodo tam linceos atq; apertos hic tribuit furor Luthero oculos: qui id, quod nunq̃ antea uiderit: iam oſtẽtat ſe in cute pariter et intus uidere: cum interim nec ſe ipſum quidem, nec ſuam inſaniam adhuc uideat: ſed malitia hodie ſat ſcio ſibi reuelauit: quod charitas nunq̃ potuit: quia nunc ſcio, inquit, papatum eſſe regnum Babylonis, et potẽtiã Nembroth robuſti uenatoris: unde perſpicere

Penelopes telã texit.

Furorẽ Lutherus pro conſpicilijs habet.

mẽdicat Lutherus a vvi

ſpicere facile poteris, non aliud iam meditari Lutherum: niſi ut ſummum ſacerdotium eccleſię Chriſti ipſe prorſus adimat. In hoc plane ueteres vvicleſi errores, nobis hodie pro nouis cudens. Is enim cum romanam eccleſiam omni armorum genere olim oppugnare temptauerit: in primis ſummum pontificium penitus diuini iuris non eſſe omnibus neruis prabare certabat: licet contra flumen et uentū fruſtra uelis conatus fuerit. Quamobrem, ut errorem hūc peſtilentiſſimū, quem non de euangelici fontis puritate, ſed de feculētis vvicleſi lacunis Lutherus ſibi hauſit: et iā pro fundamento iecit: eminus pellamus: quinq; q̄ paucis in tam ardua re poſſumus: ex canonicę ſcripturę codicibus operæprecium fuerit luculenter commonſtrare. Primo papatum, ut uocant, iuris eſſe naturæ: diuini pariter et euangelici. Secundo ſummum pontificium, ante Chriſti paſſionem haud raro fuiſſe Petro promiſſum. Tertio, poſt Chriſti reſurrectionē, ſtatim Petro donatū. Quarto fuiſſe ilico a Petro multifariam peractum, adminiſtratūq;. Poſtremo ſignis, prodigijs, et miraculis diuinis mirifice confirmatum. Sed inter hęc omnia hoc nobis in primis conandum erit: ut ex biblico ſcripturarum canone. (Alia enim Lutherus nō admittit) papatum (uulgato enim nobis utendum eſt uocabulo) iuris eſſe naturę diuini pariter et euangelici conſpicue aperiamus. Hinc enim maxima hui⁹ negocij pars pendet: hinc pene totius rei pōdus imminet: quando hinc ferme in eccleſia uniuerſa factio et ſchiſmatica prauitas olim promanauit. hinc cunctorum hęreticorum impietas primum ſumpſit initium: uidelicet q̄

cleſo ſuffragia.

Summarius dicendorū epilogus.

Primum hæreticæ prauitatis fundamentum.

pontifitium maximum ecclesiæ iuris non diuini esse omnino cōtendebāt: imo in hac harena indubie erroū suorū machinas omnes hęresiarchę primo struxerūt. Nam hoc Asianos, hoc Affros, hoc Gręcos, hoc et alios non paucos populos, a Romana sede et summo pontifice separauit. Qui si pontificium maximum iuris esse euangelici satis cognouissent: et non malitia, nec superbia eos hoc scire prohibuisset: omnes profecto hodie sub Romana sede quiete consedissent. Proinde hunc primo euellamus errorem. Nam eo semel expiato ueneno, ad reliquas expurgādas Lutheri uirulentias, latior et facilior nobis patebit introitus. Citemus ergo iam in mediū (ea qua ualemus breuitate) biblicos scripturarū canones. Sed ne postea forte de papatus uocabulo certemus (maior enim est hæc res: q̄ ut de uocibus contendamus) iam ab exordio constituamus: papatum nihil aliud esse, q̄ sacerdotium summum, pontificium maximum in ecclesia Christi: hoc autem triplicis iuris esse: scripturarum canones haud obscure mōstrabunt.

Discriptio papatus.

DE PONTIFICIO MAXIMO IURIS NATURÆ.

Ephe. 5. Prima firmandę ueritatis fundamina.

IN HAC RE quam in pręsentia nitimur: pro radice solida, et ea quidē fixa necesse est: primo statuatur: ꝙ unus dominus, una fides, una Christi ecclesia in Abel iusto primo auspicata, perseuerans ad ultimum usq; iustum: in quo est consummanda (licet ipsa

uario

uario et diuerso uocetur nomine) cuius caput in lege naturæ, Mosaica, et euãgelica, semper fuerat Iesus Christus: quemadmodum ait Paulus: Iesus Christus heri et hodie et ipse in secula. Heri in lege naturæ et Mosaica: hodie in lege euangelica; et ipse in secula semper manens caput ecclesiæ. Et q̃uis Iesus Christus in cælo semper extiterat caput ecclesiæ militantis in mundo: tamen ne ecclesiam suã militantem: cuiuis pro sua libidine gubernãdam relinqueret: in omni profecto tempore, cum legis Mosaicæ et naturæ, tum et euangelicæ, unum semper sacerdotem summum, tanq̃ uicarium sibi in ecclesia sua substituit: qui eã fide instrueret: spe firmaret: et charitate perficeret. Ijs enim uirtutibus ipse colitur deus. Et ne frustra hęc nos dixisse quis putet: a lege naturæ telam hanc primum ordiamur. Verum cum hæc, quæ in pręsentiarũ aggredimur: magna quidem sunt et ardua: nec passim omnium ingenijs facile peruia, ut ea rectius apertiusq; intelligi queãt: ad uiuum usq; (ut aiunt) nobis omnia resecanda erunt: et iccirco a lege naturæ dicendi initium sumendũ nobis primum erit. Cum ergo homo e paradiso collapsus, per fragilitatem eius naturæ postea semper extiterat: ut peccando deum offendere facile potuisset: necesse profecto ob id omnino fuit: inter homines aliquẽ esse, qui litaret: et deũ populi culpa offensum, per hostias et sacrificia denuo placaret. Cum igitur superstite primo parente, tot millia hominũ per orbem creuerũt: nec dubitari ullo pacto queat: in tanta hominum frequentia complures tunc fuisse sacerdotes, qui pro populo sacrificia deo offerrẽt: nec ea sacer-

Hebre. 13.

dotum

dotum frequentia Acephala fuit: nec biceps: haud abs re quidem nunc qęri possit: quis (uiuo primo parente) tũc in mundo pro summo sacerdote habebatur. Non enim quadrabat: ut suorum filiorũ ullus sibi summus sacerdos pręficeretur: præsertim cum sacerdos summus (habita ratione eorũ, quorum prelaturam gerit) necessę sit: ut duplicem habeat clauem: uidelicet potentię et scienrię. Et cum nemo aliquando fuerat (modo unum seruatorem nostrũ Christum excipiamus) qui cum primo parente, uel in potentia, uel scientia conferri ullo pacto poterat. Non enim in potentia: quia omnia subiecisti sub pedibus eius: nec in scientia: quia geneseos. 3. Omnia animantia terræ, et uolatilia cæli, quorum natura, maxima ex parte, a mortalibus hodie ignoratur: adduxit deus ad Adam: ut uideret: quid uocaret ea: et omne, quod uocauit Adam: hoc est nomen eius. Cunctis enim rebus, iuxta naturæ proprietatem, tam concinna uocabula aptauerat: ut talem rerum appellationem deus q̃ maxime probauerit: simul et q̃ plenus omnium rerum cognitione fuerit: uel hoc facto haud obscure ostenderit. Et iccirco nulla ex parte fieri potuit: ut ullus suorum, qui ab eo per carnalem propagationem descenderat: primo parenti summus sacerdos statueretur: super eũ, potentię uel scientię, clauẽ aliquãdo habiturus. Itaq; non potest profecto non iusta consecutio esse: ut sicut Adam in ipso initio erat a deo cunctis hominibus prelatus, in imperio terrenæ dominationis: ita etiam foret constitutus a deo summus sacerdos, in potestate spiritalis iurisdictionis: regno quidem et sacerdotio tunc in

Genes. 3.

Genes. 3.

eo una confederatis: id quod postea etiam in tota lege naturę fuit obseruatissimum. Et ideo nemo (uti reor) est: qui in uetere testamento uel mediocriter doctus euasit: qui nõ facile intelligat: sacerdotium in lege naturæ, sic primo geniturae semper fuisse annexum: ut is, qui in fratribus et familia natu maximus esset: is etiam inter eos regnum et sacerdotium maximum administraret: duplicem in hæreditate paterna nactus portionem: alteram qua regni: alterã qua sacerdotij honorem: cum dignitate fulciret. Vnde et Melchisedech, quem fuisse Sem, et filium Noe hebręi trãdunt: quia ipse uel ętate, uel, si mauis, repudiato Cam, patris electione primogenitus extiterat. Iccirco et rex Salem et sacerdos dei altissimi fuerat nuncupatus: inter cunctas eorum familias, qui ea tempestate in cultu dei remanserãt: summo sacerdotio fũctus. Quod summi sacerdotij genus, ad tempus usq; Aaronis processit: ut Lutherus, modo eius acies sole non caliget: iam hæsitare non possit: quin sacerdotium summum, pontificium maximum in ecclesia Christi ab initio fuerat de iuris naturæ. Genes. 14.

DE PONTIFICIO MAXImo iuris Mosaici.

POSTEA uero q̃ in deserto, cũctę tribus Israel, una dumtaxat tribu leui seposita, in cultu uituli tantopore euaserant corruptę: ut ad obeundum sacerdotij munus, omnes penitus redderẽtur inepti: mox deus ea occasione accepta, sacerdotiũ a primogenitis alia-

 rum

tum tribuum, ad tribum usq; leui transtulerat: sicuti ipse
Numer. 16. ait: Ego tuli leuitas a filijs Israel: pro omni primogenito
eruntq; leuitę mei. Itaq;, disponente deo, factum est: ut
tribus leui, quę in locum primogenitorum aliarum tribuũ
successerat: etiam sola pro omnibus primogenitis sacerdotium susciperet: nihilominus ut tanta sacerdotum frequentia, nec acephala, nec biceps esset: sed unum sub deo caput suffectum in terris, et unus inter homines sacerdos supremus foret: qui populi dei regimen et moderamen teneret: et non quiuis pro suo libitu populi gubernaculum sibi uẽdicaret: Iesus Christus synagogę caput in cęlo, pro summo sacerdote et uicario suo in mundo surrogauit Aaronem in sublime illum extollens: ac eius pontificiũ maximum duplice prodigio firmans: uidelicet morte Chore,
Numer. 16. Datan, et Abiron inaudita. Et germinatione arentis uirgę stupenda, uti paulo post suo loco dicemus: quod utiq;
Numer. 17. pontificij genus diuino iure institutum, diuinoq; portento stabilitum: per mille et sexcentos annos in sinagoga, usq; ad tempus Cayphę, in quo finẽ habuit: semper perdurauit: ut ex canone pentateuci iam facile cerni possit: nisi quis forte in oculis sudem habeat: sacerdotium summum pontificium maximum, in ea Christi ecclesia, quae olim dicta est sinagoga: omnino iuris fuisse diuini.

DE FIGVRA PONTIFICII iuris euangelici.

OPERAE quippe precium est: in hac re, quam nũc molimur: id in primis aduertere. Omnia in lege Mosaica

ſaica, filijs Iſrael a ſummo deo ita tradita fuiſſe: ut eorum, quæ in lege Chriſti futura erant: ſigna quædam et typi forent: uti Apoſtolus ait: Omnia in figuris contingebãt illis. In lege tamen Moſaica duo præcipue fuere: quę typi rationem maxime omnium gerebant: uidelicet ſacrificia legis, quæ Chriſtum ſignabant futurum: et ſtatus ſynagogę, qui poſtea ſucceſſurum eccleſię ſtatum omnino adumbrabat. In ſtatu autem ſynagogæ pręcipuũ et potiſſimum omnium fuit: ſummũ Aaronis ſacerdotium: quod ſummi Petri pontificium, modis pręfigurabat haud paucis. Nam primo, quemadmodum Aaron, nulla ambitione, nulla prorſus rerum corruptione: uerum ſola dei uocatione ad ſummum ſynagogę ſacerdotium aſpirauit: ita re uera et Petrus non ambitu, non corruptela, ſed ſpontanea Chriſti electione, ad ſummum eccleſiæ pontificium aſcẽdit. Secundo, quemadmodum Aaronem, quem deus in ſummo ſynagogæ ſacerdotio conſtituit: prius per nephãdam uituli conflaturã, palam et nequiter eum ruere ideo ſinebat: ut e ſuo caſu, aliorum poſtea ruinas commiſerationis lance clementius trutinaret: Ita plane et Petrũ, quẽ in ſummo eccleſiæ pontificio Chriſtus pręlaturus fuerat: antea peierare, magiſtrũ ter turpiter negare, iccirco permiſerat: ut ex ſuo recordato ſubinde ſcelere, aliorum deinceps infirmitatibus melius compati calleret. Itaq; uterq; paulo ante pontificij culmen fœde profecto cecidit: ille minãte populo: iſte terrente fœmina: quod illi lõge turpius fuit. Tertio, ſicut Aaronis ſacerdotiũ ſtatim in ipſo initio roborauit deus: cęde Dathan et Abirõ inſolita: ita

I. Corin. 19.
Numer. 17.
Ioan. ulti.
Exodi. 32.
Matthęi. 16
Aaronis et Petri caſus.
Numer. 16.

et Petri pontificium interitu Ananię et Saphirę mirando.
Numer. 17. Quarto, quemadmodū Aaronis sacerdotiū statim in ipso initio magno deus stabiliuit portento: quando uirga Aaronis arida germinauit: ita et Petri pōtificium: quo tem-
Actuum. 9. pore ad eius uerbum Tabitam iam mortuam in uitam reuocauit: Aaronis sacerdotium firmauit deus: quādo uirga sicca floruit: Petri autem sacerdotiū: ubi, iubente Pe-
Actuum. 9.
Actuum. 5. tro, Claudus ab utero matris sanus in publicum saltauit: Aaronis sacerdotium firmauit deus: ubi uirga marcida fronduit: Petri uero pontificium: cum debiles et ęgrotos
Numer. 17. (mirabile dictu) sola umbra curaret: Aaronis sacerdotiū firmauit deus in posteros: quando uirga arescens amygdala peperit: Petri autem pontificium tunc in eius succes-
Actuum. 10. sores firmauit: quando super omnes, qui Petrum audiebant: spiritussanctus uisibiliter descenderat. Itaq; ut Aaronis sacerdotium firmaret deus: stupenda operatus est in uirga arida. ut autem Petri pontificium comprobaret: per eum miracula longe plura ac numerosiora passim ędidit deus in humana natura: id quod citra controuersiam tantę rei maxime congruebat: ut quanto in omnibus Petri pontificium sacerdotio Aaronis præstaret: tanto etiā signis maioribus, et miraculis clarioribus, in cunctis prę luceret: ut eo demum pacto res, typum figuratum, figuram longe superaret: ut dubitari profecto iam nō debeat summū pontificium Petri: cuius initium tot tantisq; gestarum rerum portentis diuinitus nobilitabatur. A supremo deo ita institutum: ut humanitus fuisse inuentū credi nullo modo cōueniat: aut forte prodigia illa paucula, quę

Cōfirmatio summi pontificij euāgelici.

operatus

operatus est olim deus in uirga marcida: sacerdotiū Aaronis diuino fuisse iure ordinatum, satis comprobabant? miracula autem innumera, quę toto stupente mundo per Petrum longe lateq; in humana natura deus consummatissime absoluit: pontificium Petri diuina authoritate fuisse exortum abunde persuadere non possunt?

PONTIFICIVM MAXIMVM (QVOD modo papatum uocamus) iuris esse euangelici, ipsa euangelica ueritas testatur.

QVONIAM de sacerdotio summo, de pontificio maximo, quod papatum hodie uocamus: iam figuram in propatulo accepistis: nunc euangelica authoritas quid in hac re dicit: attēte audiamus. Verba ergo proferamus non nostra sed Christi: qui dicit: Nolite putare, ꝙ ueni soluere legem: nō ueni soluere: sed implere: amen dico uobis: iota unum, aut apex unus, non præteribit de lege: donec omnia fiant. Ecce iam Christum promittentem audistis: ecce non fidifragrū, sed ueracem: imo totius ueritatis fontem: qui nec uerba dare: nec falli poterit. Audistis: qui dicit: Non ueni soluere legem: sed implere. Si ergo uerum est: quod Christus dicit: ut omnino uerum est: quomodo, quęso, legem impleuit: nisi pro sacerdotio synagogæ, melius sacerdotium ecclesiæ suæ dederit? Nam si summum sacerdotium Aaronis et synagogæ iuris fuerit diuini: Summum autem pontificium Petri et ecclesiæ iuris fuerit:

Matthęi.5.

Policitatio cri euangelica.

ris fuerit: sed non diuini: procul dubio pontificium non melius sed peius tribuit: legem non impleuit: sed soluit. Quod dicere a christiano pectore longe auertat deus. Nā Christus, qui est heri, hodie, et ipse in secula: iure suo, hoc est diuino: duas sedes erexit: unā primo in synagoga Iudęorum: in qua Aaronem suum uicarium summum suffecit. Deinde alteram in ecclesia christianorum: in qua multo maiore authoritate, Petrum tanq̃ supremū uicarium suū altius surrogauit. Itaq; legem non soluit: sed impleuit: quando pro uetere sacerdotio, nouum præstantius ecclesiæ donauit. Alioqui quonam pacto uerum foret: quod iuramento Christus firmauit: dicens: Amen dico uobis: iota unum, aut apex unus, non præteribit de lege: donec omnia fiant. Ecce in lege Aaronis sacerdotium unum fuit: non iota, non apex, sed unum maximum, illic de iure diuino institutum: Et iam illud prorsus de lege præterijt: Si igitur aliud sacerdotium, diuino iure institutum, in ecclesia Christi pro eo non successerit. Quomodo, rogo, uerum esse queat: quod Christus dicit: qui nunq̃ poterit aliud q̃ uerum dicere: Iota unum, aut apex unus, non præteribit de lege: donec omnia fiant? Quando unum maximū uidelicet summum Aaronis sacerdotium de lege preterijt: et tamen in ecclesia sua aliud summum sacerdotium, diuino iure institutum, pro eo Christus non erexit. Quomodo ergo Christus legem impleuit: et non eam potius soluerit? Quod ab orthodoxo homine ꝓcul absit dicere nedum cogitare. Christus ergo, ut legem non solueret: sed impleret: nec iota unum de lege abire sineret: pro summo

Quā opinionem a suis auertat de⁹.

Hebrę. 13.

Duplex sedes duplicis pontificij.

Matthei. 5.

pontificio

pontificio Aaronis, aliud summum pontificium prestantius, iure diuino firmatum, in ecclesia sua instituit: in hoc sane promissum reddens pariter et legem implens.

APOSTOLICA CONFIRMATIO pontificium maximum in ecclesia Christi esse iuris euangelici.

SED ADHVC in hac re, ne cui minus dixisse uideamur: q̃ tantæ rei pondus fidesq; efflagitant: huc etiã accedat et apostolica authoritas. Sacerdotium enim noui testamenti non est sacerdotium secũdum ordinem Aaronis: uerũ secundum ordinem Melchisedech. id quod Paulus ad Hebreos testatur. Sacerdotium autem secundum ordinem Melchisedech non est iuris humani: sed diuini: quemadmodum in psalmo: Iurabit dominus: et nõ pœnitebit eum: tu es sacerdos in eternum secũdum ordinem Melchisedech. Quamobrem cum papatus, quem uocant: sit sacerdotium noui testamenti: erit profecto sacerdotiũ secundum ordinem Melchisedech: Tale autem sacerdotium non est iuris humani: sed diuini. Rursus idem Paulus synagogam et ueterem legem noctem, nouam uero legem diem appellat. Nox, inquit, precessit: dies autem appropinquabit. Verum synagogam simul et ueterem legẽ, non tam summo sacerdotio, q̃ summa etiam sede põtificia iure diuino roborata, Christus eximie ornauit. Quod si suæ ecclesiæ, si legi euangelice sacerdotium non tam excelsum: si etiam sedem pontificiam, iure diuino erectam, non tam sublimem

Hebre. 7.
Psalmo. 109
Roman. 13.

ſublimem, eſt dignatus Chriſtus illi prȩſtare: citra ullam dubitationem, mox ipſe conuincitur: dilexiſſe tenebras magis q̄ lucem: quia nocti q̄ diei, ſynagogȩ q̄ eccleſiȩ, nobilius ſacerdotium præfecit. Quod q̄ prophanum ſit affirmare: quis eſt qui neſciat? Rurſus et iam alio in loco eundem Paulum expendamus: dicit enim: Abraham du-
Galath.10. os filios habuit: unum ex ancilla, et alterū ex libera: quæ quidem ſunt duo teſtamenta. Iudæos ergo appellat Paulus filios ancillæ: Chriſtianos autem filios liberæ. Cum igitur ſummum ſacerdotium, diuino iure inſtitutum, Iudȩis Chriſtus tribuit: Si pontificium ſummum, etiam eodem iure firmatum, renuerit Chriſtus ſuis chriſtianis largiri: profecto nemo tam eſt ſtupidus: quin facile cernat Chriſtum filios ancillȩ in maiore precio habuiſſe: q̄ filios liberȩ: quandoquidem iudæos, q̄ chriſtianos, digniore
Ioan. 6. pontificio honorauit. Poſtremo etiam et nunc Chriſtum ipſum contemplemur: qui legem euangelicam ſpiritum
II. Corin.3. et uitam appellat. Conſyderemus ſimul et Paulum: qui legem Moſaicam literam occidentem et adminiſtrationē damnationis uocat. Si igitur adminiſtratio damnationis in tanta gloria fuit: ut unum ſemper penes ſe ſummum ſacerdotium: unam ſummam pōtificij ſedem obtineret: in qua unus ſummus ac pontifex maximus præſideret: et id quidem non humana, ſed inſtitutione diuina. Quonam pacto, queſo, et uitæ et ſpiritus adminiſtratio, hoc eſt lex noua: non potius erit in gloria? ut unum ſummum pontificem ſub Chriſto capite habeat: qui Chriſti eccleſiȩ (ne alienus in ea ſibi authoritatem præripiat) iure diuino prȩſidiat.

ſideat. Alioqui non ſolum unum iota, aut unus apex, ſed unum maximum uidelicet ac ſummum Aaronis ſacerdotium de lege periret: præſertim cum in lege noua nihil ei ſimile in ueritate responderet. Sed hic Lutherus, ſatis ſcio: unum, ad quem confugiat: parabit ſibi angulum: et dicet: Summum ſacerdotium Aaronis recte adumbrare ſacerdotiū Chriſti in eccleſia, quā uocant, militante: in qua Chriſtus in terris aliquando, tanq̄ ſummus pōtifex, prǽſidebat. Et ideo typum rei et figuram figurato bene reſpōdere. Sed nec in hoc quidem ſcripturæ ictum ulla ex parte Lutherus declinat: imo ſcripturarum uinculis, unde extricari nequeat: ſeſe inuoluit. Nam Chriſtus, qui eſt heri, et hodie, et ipſe in ſecula: ſēper fuit caput ſynagagæ quēadmodum et eccleſiæ. Sed in ſynagoga, in qua ipſe olim caput fuerat: unam ſedem ſummā pontificiam conſtituit: in qua Aaronem, tanq̄ ſuum uicarium, etiam cū ſuis ſucceſſoribus, diuino iure collocauit. Relinquitur ergo: ut etiam in eccleſia, in qua ipſe iam caput exiſtit: ſedem unā ſummā et pontificiam erigat: in qua, iure ſuo, hoc eſt diuino: uicarium ſuum ſubſtituit: qui loco ſuo cæteris omnib⁹ præſideat. Alioqui ſuꝑuacue ac fruſtra prǽibat figura: cum res illi conformis nulla ſequatur. caput enim non eſt mutatum: ſed ſynagogæ et eccleſiæ unū manet caput. Verum mutatū eſt ſacerdotium: mutatus eſt et uicarius. Et ideo ſicut tranſlato ſacerdotio, legis trāſlatio e ueſtigio ſequitur. Ita et mutato ſacerdotio, neceſſe eſt: ut et uicariatus, quem uocant: mutatio fiat: non utiq; in peius, ſic enim legem ſolueret: non impleret: ſed in uicariatum me-

Matthei. 5.

Hebrǽ. 13.

Chriſtus caput ſynagogæ et eccleſiæ.

Ad Hebr. 9.

liorem. Proinde quemadmodum suprema Aaronis suffectura, quam sub Christo capite gesserat: non plane alterius q̃ iuris fuerit diuini. Ita haud dubie multo magis necesse erit: ut summus sub summo capite Christo iam in ecclesia uicariatus, iuris diuini censeatur. Non ergo papatus, quem uocant: sacerdotium summũ, pontificiũ maximũ, in ecclesia Christi iuris est humani: ut iam Lutherus VViclefistissime pinguissimeq; cõtendit: sed iuris naturæ, diuini pariter et euangelici. Nec est regnum Babylonicũ: ut homo male sobrius furore postea euomuit; sed est iustum populi dei gubernaculum: ab ipso deo institutum. Nõ robusta uenatio Romani episcopi: sed religiosa administratio populi Christiani: a quorum sancto cœtu iam Lutherus sese nepharie alienauit: in malignantium ecclesiam procul demigrans.

NON OBSCVRA PETRO ANTE passionem Christi summi pontificij policitatio.

QVEMADMODVM enim Christus totius synagogae caput, priusq̃ Aaronem in summi sacerdotij culmen ordinaret: aliqua, ueluti quasdam futuri pontificij insinuationes atq; præludia faciebat. Dicebat enim Mosi: Applica Aaronem fratrem tuum: ut sacerdotio fũgatur mihi. &c. Haud secus quidem Christus summum ecclesię pontificium, quod post resurrectionem Petro daturus erat: ante suam passionem illi signis et argumentis

Exodi. 28.

quibusdam

quibusdam nõ obscuris, aperte satis disponebat. Et ut ab ipso primo insinuati primatus exordio iam inchoemus. Andreas cum fratrem suum Simonem duxisset ad Iesum: Iesus eũ comtemplatus dixit: Tu es Simon filius Ioãnis. Ioã. primo. Tu uocaberis Cephas. Quod si interpretari uelis: dicitur Petrus. Ergo Christus Petro nomen nouum indidit: id quod aliorum apostolorum nulli fecerit: sed ceu peculiare quiddam, hoc Petro soli tribuit: ut mox ab ipso electionis auspicio nomine nouo, id est Cephas: uocaretur. Cęteris apostolis sua antiqua nomina retinentibus. Cũ ergo temere a deo nihil fit: nec Christus cũ sit p̃ris sapiẽtia: citra causã quicq̃ agat: aliquid causę subesse necessũ est. Quãobrẽ illi soli ac uni nomẽ nouũ imponeret. Quã ergo? respira: meditare: et finge causam: si poteris: uerũ opinor nõ aliam tibi in mentem uenire posse, q̃ eam, ꝙ in sede summa Petrus tanq̃ Christi uicarius cæteris omnibus pręficiẽdus esset: Vt sicut Abram nomine nouo insigniuit deus: Genes. 17. uocans eum Abraham: eo ꝙ pater futurus esset multarũ gentium. Et uocabulo Iacob mutato, deus appellauit eũ Israel: quod si interpreteris: dicitur princeps cum deo: ob id, ꝙ a deo paulo post duodecim patriarcharum pater et Genes. 32. uertex ordinandus erat. Ita et cæteris apostolis nomina sua seruantibus, solum Simonem Petrum nouo nomine ornauit Christus: quia reliquis apostolis ipse princeps et caput non multo post a Christo constituendus fuerat. Quod quidem genus mutandi nominis in summorũ pontificum ordinatiõe, usq; in hodiernum diem sic obseruatũ tenetur: ut citra prioris nominis cõmutationem Romanę

ſedi ferme pręficiatur nemo. Deinde quid eſt: quod Chri-
ſtus in partibus Cęſareę et Philippi interrogabat diſcipu-
Matthęi. 16 los ſuos dicens? Quem dicunt homines eſſe filium homi-
nis? Diſcipulis uarias eſſe opiniones reſpōdētibus. Chri-
ſtus denuo illis dixit: Vos autem quē me eſſe dicitis? Cæ-
teris omnibus tacentibus, Petrus, tanq̃ cęterorum prin-
ceps ſubinde futurus, nō homine ſed deo inſtruente, unus
pro omnibus, dux pro militibus reſpondit: dicens: Tu es
Chriſtus filius dei uiui. Vnde et Chriſtus conuerſus ad
Matthęi. 16 eum, ait: Beatus es Simon Bariona: quia caro et ſanguis
non reuelauit tibi: ſed pater meus, qui in cælis eſt. Et ego
dico tibi: quia tu es Petrus: et ſuper hanc petram ędifica-
bo eccleſiam meam: et portæ inferi non præualebunt ad-
uerſus eam: et tibi dabo claues regni cælorum: et quod-
cunq; ligaueris ſuper terram: erit ligatum et in cælis: et
quicquid ſolueris ſuper terram: erit ſolutum et in cælis.
Vide, quæſo, Chriſtus factionem quantum exhorruit:
quantūq; in eccleſia ſua unitatem adamauerit. tibi inquit.
Perpende unitatem: quia Chriſtus diſſidium ſuorum ex-
ecratus: omnium ad caput unum admonuit eſſe concor-
diam: omnium ad ducem unum fore præſtruxerat obedi-
entiā. Et iccirco ait: Tibi dabo. Ecce Petro ſup apl'os fu-
turi primatus policitatio. Nec tamen Chriſtus tunc Pe-
tro mox donauit: quod ei ſe pręſtiturum ſpoſpondit: ſed
illud in tempus aliud perendinauit: quod ipſe quidē forte
Prouer. 3. admiraberis: pręſertim cū ſcriptum ſit: Noli amico dice-
re: uade et reuertere: et cras tibi dabo: quod ſtatim poſſis
dare: nam uulgo ac uere dicitur: Bis datur: quod cito da-

tur;

tur. Cur ergo Christus donatiuū militi suo, quem tantopore amauit: in longius distulit: ac non potius quod promiserat: statim illi prębuerit? Nempe cum hęc Christus Petro policeretur: Stabat adhuc integra sedes Aaronica: cuius tū pręfecturam tenuit Cayphas: qui et si malus: tamen Christi uicarius: stabat etiā et uetus testamentū nō dū abolitū: uiuebat simul adhuc Christus, noui testamēti testator. Proinde Christi testamentū nobis non ualuit: nisi eius mors intercederet: quādoquidē in mortuis firmatur testamentū. Et ideo ante mortē suam Christus sedem nouam erigere non debuit: uerum post mortem surgens Christus ad uitam nouam, nouum statuit testamentum: nouum sacerdotium: nouam erexit sedem: tanto Aaronica sede meliorem, quanto spiritus carnem, et ueritas umbrā exuperat. Hanc sedem post resurrectionem oportuno suo tempore, Christus, ut mox dicemus: Petro elargitur: re ipsa præstās: quod ante uerbis promiserit. Rursus nec hoc pręteream us: quod cum in suprema cœna inter discipulos suborta contentio esset: quis eorum uideretur maior: (Nam quilibet eorum pro sua libidine summam leuare sibi sedem parabat) Christus, eorum ambitionem placide compescens, Petro tanq̄ futuro sibi uicario dixit: Simon, ecce sathanas expetiuit uos: ut cribaret sicut triticū schismata inter uos seminando: quisnam uestrum sedeat super sedem meam: quam ego propediem sum in ecclesia mea erecturus: sed ego rogabo pro te Petre: ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quis igitur est (nisi forsā in meridie cęcutiat) qui nō

Hebrę. 9.

Lucę. 22.

Lucę. 22.

facile perspiciat: Christum ijs uerbis apostolorum schisma sapiẽtissime suppressisse: quæstionem de primatu absoluisse: et quis futurus sibi uicarius esset: haud obscure indicasse? et ideo illũ, siquidẽ necessũ erat: cęteris superiorẽ fore: cui tam peculiare ad confirmandos reliquos fuerat iniunctum officium. Nec apponat mihi quispiam: Petrũ ter Christum negasse: et ob id a fide defecisse. Nempe aliud est de industria a fide excidere: ac per pœnitentiam nunq̃ redire: aliud ex infirmitate ad horã in fide cespitare: atq; mox resipiscere: ac subinde sic sceleris pœnitentia duci: ut et ipse in fide postea subsistat constantior: ac eius exemplo cautiores euadant alij: nõ est enim hoc a fide deficere: sed sibi ac alijs ex ruina prodesse. Q̃uis etiam et recte intelligi potest: orasse Christum non pro fide Petri sub sede Aaronica: quia forte sub ea defecit: sed pro fide Petri in sede apostolica: quæ data est Petro post Christi resurrectionẽ: ubi fides Petri nunq̃ defecit. Q̃ si forte aliqui summi pontifices quandoq; aberrarunt: tamen uel sedis authoritas cito eos correxit: uel certe procul eosdem ab eadem confestim expulerat: uti Platina et annales non semel aut bis docent. Postremo etiam et Christũ in hac re loquentem audiamus. Nam cum ad Christum aliquando accesserint: qui didrachmã accipiebant: dicentes: Magister, uester non soluit didrachmã: respondente Petro etiã mox intrante Christo domum, præuenit Petrum Iesus. Quid tibi uidetur Simon: reges terræ a quibus accipiunt tributum: a filijs an ab alienis? Cui Petrus: Ab alienis. At Christus. Ergo liberi sunt filij: ut autem non scandalizemus

Matthęi. 17

lizemus eos : uade ad mare : et eum piscem, qui primo as=
cenderit : tolle : et aperto ore eius : inuenies staterem: et il= Matthęi.17
lum sumēs da pro me et te. Ecce, clariora sunt hęc : q̄ quae
ulla declaratione egeant. Christus soluit didrachmā pro
se ipso, tanq̄ pro capite : et pro Petro, ueluti pro futuro si=
bi surrogādo uicario. Nā cur alioqui et nō pro aliis solue=
rit apostolis : nisi pro se dumtaxat et Petro ? Nonne iccir=
co hoc egit Christus : ut hoc exemplo reliquos doceret a=
postolos : qui inter se de pręfectura anxie concertabant: ꝙ
post resurrectionem suam eorum neminem, pręter unum
Petrum, in summam promoturus fuerat pontificii sedem.
Tot igitur undiq; concurrentibus signis, et euangelii te=
stimoniis, hęsitare certe amplius nō deberes Luthere ho=
mo siquidem rebellis, et ad persuadendum difficilis : quin
ante passionem suam summum ecclesiæ pōtificium Chri=
stus Petro haud clam policitus fuerat.

DONATIO SVMMI PONTIFICII Petro ilico post Christi re= surrectionem.

SIMVLAC uero q̄ synagogam illam ueterem una cū
suis cęremoniis, ac sacrificiis, Christus in cruce termi=
nasset : altius ibidem acclamans : Consummatum est. sta=
tim a sua resurrectione, coeūtibus in unum apostolis, qui
ante Christi mortem de dignitatis fastigio cōtendebant :
ipse sese illis uiuum coram exhibuit. et ut in ea re omnem Ioan.19.
de pręfectura discordiam deinceps illis adimeret: et caput
pro se

pro se unũ ecclesię pręficeret: cõuersus ad Petrũ, nullis discipulis nõ audiẽtibus, dixit: Simõ Ioãnis, diligis me plus his? Non enim a Petro sciscitabatur fidem: cui Lutherus omnia tribuit: sed dilectionem, quæ est plenitudo legis: ut charitate consummatum oportere esse uirum ostenderet: qui Christi ecclesiæ præesse deberet. Petrus uero et si cæteris Christum ardentius amaret: tamẽ pristinæ negationis suæ conscius, nõ ausus cuipiam se præferre: sed nec æquare quidem: modeste admodum ait: Etiam domine: tu scis: quia amo te. Neq; adiecit plus his: magnę arrogantiæ nimirum intelligens, seu se cuipiam præponere: seu alienę mẽtis censorẽ fore. At seruator noster Christus sobria ac modesta Petri uerba tacitus probans, continuo ait: Pasce agnos meos: illi, tanq̃ uicario suo, summã gregis sui curã committens. Ac etiam summam ecclesię authoritatem Petro fuisse traditam: reliqui apostoli non pro ancipite, sed pro certo haberent. Rursus nullo apostolorum non præsente uni Petro ait: Simon Ioannis, diligis me? Nec apposuit plus his: ut qui Petri humilitatem ac modestiam in ea parte antea coram satis probauerat: et ideo denuo ait Petrus: Etiam domine: tu scis: quia amo te. At Christus: Pasce agnos meos. Christo enim parum uidebatur apostolicum culmen, semel atq; iterum, Petro antea dedisse: nisi etiam denuo mãdatum sibi munus cumulatius firmaret: et ideo adiunxit Christus, etiam tertio loquens: non ad reliquos apostolos, sed ad solum Petrum: ut esset unum ouile et unus pastor. Simon Ioannis, amas me? Et contristatus est Petrus: quia dixit iam tertio: Petre, amas

Ioan. ulti.

Ioan. ulti.

Ioan. 10.

tre, amas me? Metuebat enim nõnihil ſibi: ne forte et alteram iam futuram ſibi ruinam Chriſtus prædiceret: unde perterritus ait: Domine, tu noſti omnia: tu ſcis: quia amo te. At Chriſtus: Paſce oues meas. Paſce, in ſingulari non paſcite in plurali, dicit. Sed cur, obſecro, antea agnos geminans, nunc tertio oues adiecit? Nimirum ut eorum iam preueniret errorem: qui alioqui contenderent: inferiores ac mediocres perſonas, non autem generatim reges et imperatores Petri gubernaculo fuiſſe commiſſos. Deinde Chriſtus cur apoſtolicę ſedis faſtigium trina interrogatione Petro firmauit? Nempe, niſi ſcriptura me fallat: ut omnem eccleſię gradum, is qui triplex eſt: incipientiũ, proficientium, et perfectorum, Petri regimini traditum, commonſtraret: quo nec quenquã deinceps lateret: quin uniuerſum eccleſiæ ſtatum Petro gubernandum Chriſtus omnino tradiderit. Sed hic occurſitat Lutherus: acriter nobiſcum digladiaturus: dicetq;, paſcendi populi dei triplex genus eſſe: doctrina, uita, et ſi facultas ſuppeditat: etiam terrena, quam uocant: ſubſtantia. Quoduis autem horum Petro nihil peculiare, ſed omnibus prorſus et cunctis eccleſię proceribus omnino cum Petro cõmune. Nam omnibus Chriſti diſcipulis indiſcriminatim dictum eſt: Prędicate euangelium dei omni creaturæ: quoad doctrinam. Deinde uniuerſis illis ęque eſt mandatũ: Sic luceat lux ueſtra corã hominibus: ut uideant ueſtra bona opera: quatenus ad uitam. Poſtremo illis deniq; omnibus citra diſcrimen iuſſum eſt: Date, et dabitur uobis: quoad rerũ facultates. Cum ergo priuatum aut ſingulare nihil in his

Ioan. ulti.

Cur Petro ſit trina interrogatio.

Argutia Lutheri.

Matthęi. 16

Matthęi. 5.

uerbis habetur: Pasce oues meas: in quo reliqui discipuli cum Petro non communicent: sed in hoc omnes generatim explorantur pares: cuncti in officio æquales. Cur ergo ex his Christi uerbis: Pasce oues meas: Petro ecclesiæ primatum quisquam tribueret? Cur authoritate super cæteros apostolos illum quisq̃ efferret? Facile nimirum dissipatur hic nodus: si iusta uocabuli significatio trutina ęqua libretur. Quippe pastor nomen est: non tam curę et solicitudinis q̃ etiam dignitatis et honoris: quo (ut ueteris instrumenti scriptura indicat) olim functi sunt reges, patriarchæ, et prophetæ: quo etiam nomine magis q̃ regio delectatus est rex regũ Christus: inquiens: Ego sum pastor bonus. In hoc sane non curã et solicitudinem modo, sed et ius ac authoritatem suam in gubernatũ gregem ostendẽs. Eo ergo modo dixit Christus Petro: Pasce oues meas: quo modo se ipsum appellauit pastorem pręsidentem cæteris: non tam cura et solicitudine: q̃ honore et dignitate. Et huic re uera quadrat: quod etiã græce exploratur. Nam ubi latine scribitur: Pasce oues meas: græce habetur uocabulum: quod et pascere pariter et regere significat: ut quidam nostræ ętatis interpres non indoctus illo in loco annotauit. Verborũ ergo Christi nec trũcatus nec adulterinus, sed plenus ac uerus sensus hic est: Pasce oues meas: hoc est: rege oues meas: ne quid errẽt: Pasce eas: ne quando pereant. Primum spectat ad Petrum peculiariter: et ideo locutus est ei Christus in singulari: Pasce oues meas: id est rege. Secundum pertinet ad omnes discipulos ex ęquo: ac ob id enũciatur illis in multitudinis

Dissolutio sophismatis.

Ioan. 10.

numero

numero. Prædicate euangelium omni creaturæ: quantū ad doctrinam: luceat lux uestra: quoad uitā: et date quatenus ad terrenam, quam uocant: substantiā: illis singula pluratiue efferendo. Proinde si Christus loquens Petro hoc uerbum, Pasce, in ea significatione accepisset: nunq̄ profecto dixisset in singulari, Pasce, sed in plurali, pascite oues meas.

QVOMODO A SVMMO SACERDOTE ueluti ab ipso fonte docet euangelium in alios sacerdotes diriuatam esse potestatem.

NVSQVAM non potest e sacris uoluminibus dilucide patere: nisi me forte mea fefellit opinio: quantū inter Petri et reliquorum apostolorum potestatem intersit: si Matthæi euangelium uigili et non oscitante animo expendamus. Nam cū Christus, Matthęi. 16. unū Petrū Matthei. 16 ob integram suæ fidei confessionem beatum esse dixisset: nec tam consummatam Petri confessionem mercede uacare uoluerat: confestim adiecit. Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum: et quodcunq; ligaueris super terram: erit ligatum et in cælis: et quodcūq; solueris super terram: erit solutum et in cælis. Quę nimirum uerba longo distant interuallo: ab illis, quæ paulo post, capite. 18. Christus cūctis generatim protulit apostolis: dicens: Quæcunq; ligaueritis super terram: erunt ligata et in cælo. et quęcunq; solueritis super terram: erūt soluta et in cælo. Nam hic

omnibus loquitur apostolis: et ideo pluralitatis usus est numero. ibi autē uni Petro, et ob id recte singularem usurpauit numerum. Petro, Matthæi. 16. promisit Christus claues regni cælorum. At postea, capite. 18. apostolis locutus tanq̃ priorem facultatem coartans, clauium prorsus nihil meminerit. Deinde, capite. 16. policitus est Christus Petro ligādi et soluendi potestatem in terra et in cęlis. At paulo post, Matthæi. 18. eā potestatē tanq̃ restringēs, apostolis ligandi et soluendi authoritatem tribuit dumtaxat in terra et in cælo: nequaq̃ autem in cælis pluratiue. Quo statim agnoscas: quanto cæteris apostolis, docente Christo, præpolleat Petrus: cui prębentur claues nō cæli modo: sed etiam cælorum. qui et liget soluatq; nō in uno dumtaxat cælo: uerū in multis cælis. quod reliquo apostolorum non fuerat senatui donatum. Hic tamen temere dicet Lutherus: hoc non uni Petro, uerum cunctis fuisse dictum apostolis. sed unde, quęso, Luthere hoc probas: unde id suadeas: unde hoc uerisimile esse usq̃ ostendas? præsertim cum stent aduersus te interpretes doctissimi: et quod omnium potissimum est: ipsa quoq; tota euangelij facies tam clare in te militat: ut nisi omnia confundere tua uafricies uelit. Non poterit tibi frons esse: qua neges: q̃q̃ multa dissimiles: multaq; aduersus clarissimas scripturas affirmes: pugnante contra te conscientia tua. Nam tam et si Christus omnes discipulos citra discrepantiam interrogasset: Quem dicunt homines esse filium hominis: et respondentibus illis, alij Heliam, alij Ieremiam, aut unum ex prophetis: tamen Christo ab illis petente: Vos autem

Matthęi. 16.

Matthęi. 18.

quem

quem me esse dicitis. ibi apostolis cęteris prorsus nihil re-
spondentibus, tanq̃ hominibus plena Christi fide nō dū
illuminatis, unus dūtaxat Petrus, et Christi humanitatē
pariter et eius diuinitatem clare confessus est: Tu es Chri-
stus filius dei uiui. Ob quod a Christo unice meruit audi-
re: Beatus es Simō Bariona: quia caro et sanguis non re- Matthei. 16
uelauit tibi: sed pater meus, qui in cælis est. Quo apareat
syncęram et plenā Christi fidem eo tempore fuisse, nō cę-
teris, uerū uni Petro reuelatā: et iccirco, ut tā integra et ple
na Petri confessio suo premio non careret: Christus con-
tinuo locutus nō omnibus sed uni, adiecit: Tu es Petrus:
tibi dabo claues regni cælorū: et quodcunq; ligaueris. &c.
Nam quis, rogo, aliorum est hoc nomine uocatus citra
unum Simonem: qui et dictus est petrus. Soli ergo Petro,
qui hanc obtinuit nomenclaturam: dixit: Tu es Petrus:
tibi dabo claues regni celorum. &c. id quod reliqua literæ
phrasis, si ego silerem: satis indicaret: sed sat scio: Luthe-
rus, quem lites pascunt: et uerborum pugnæ alunt: tam
patenti euangelij ueritati neutiq̃ cedet: sed pugnās dicit:
Non poterit solutio porrectior esse ligatione: cū mutuo
se respiciant. Et iccirco cū papa solum ligat ad pœnas ca-
nonū: eas soluere queat: alias autem nequaq̃ ullas: adeo
Petri potestatem ad angustias cogit. Sed audi Luthere: in
hoc prorsus nihil agis. Nam cum soluēdi potestatem Pe-
tro longe ante Christus donauerat: q̃ canonū pœnę con-
debantur: non propter illas soluendas dedit eam Petro:
quia solui non poterat uinculum: quod non dum erat in-
stitutum: nec quicq̃ olet ueritatis Luthere: quod ad rem

tuendam apponis: hoc eſt ligare et ſoluere omnino ad ę-qualia referri. Nam q̄ q̄ ſummus pōtifex neminem ad peccatum ligare ualeat: quia peccatum adeo eſt uoluntariũ: ut ſi non ſit uoluntarium: non eſt peccatum. peccatorem tamen, qui ſua ſponte peccati ligamine ſe deuinxit: poterit certe ſucceſſor Petri, ſi non reſipiat: anathematis uinculo ligare. Et cũ niſi unũ uinculũ peccanti iniecerit: hoc eſt anathematis queat nõ eo minꝰ utrũq; ſoluere. Nempe excõmunicationis una et faſcinoris uinculũ, quod ipſe non diffiteris: et propterea obſcurũ non eſſe ſoluere omnino ad ampliora extendi q̄ ligare: et ea nequaq̄ ad paria referri. licet Luthere tibi placeat: quo errores diſſemines: omnia mẽdacijs reſpergere. Quin et addo Luthere: cum citra uincula excommunicationis et culpæ, cui debetur pœna ęterna: a quibus abſoluit ſummus pontifex: reſtet adhuc aliud et tertium uinculum. Nempe pœna temporalis pro flagitio debita: poterit ipſe nimirum plenitudine poteſtatis ſuæ eam omnino ſoluere. alioqui nec fidelem nec quidem ueracem facis Chriſtum: qui nullo penitus uinculo ſepoſito Petro dixit: Quodcunq; ligaueris ſuper terram: erit ligatũ et in cælis. Is enim qui hoc promiſit: nullum profecto uinculi genus excepit: quod Petri ſolutioni non integre commiſerit. Quo clare eniteat: q̄ impie de poteſtate antiſtitis maximi, et de indulgentijs ſenſeas. quas tantopere ad angulum ipſe adigis: ut ad anguſtias pœnarum, quas canones inflictãt: eas turpiter coarctes: cæterum ut quo dilapſi ſumus reuertamur. Porro cum claues quidem regni cælorum, ac poteſtas ligandi ſoluendiq;

in cælis, Matthęi. 16. Petro quodã singulari ac peculiari modo tradebantur: id quod alteri factum nõ fuerit: atq; hoc certe non potest non dilucidum facere: illũ tanq̃ summum sacerdotẽ et principem in gubernando Christi corporis mistici, quod est ecclesia. reliquo apostolorũ cœtui longe fuisse pręlatũ: et iccirco, Matthęi. 18. cęteris apostolis authoritatis officium sic Christus attemperauit: ut Petro in iurisdictiõe sese nequaq̃ pares, sed inferiores esse palam agnoscerent: id quod Christi uerba, quæ illis protulit: haud clam monstrant: Quæcũq; ligaueritis, inquit, super terram: erunt ligata et in cælo: et quæcunq; solueritis super terram: erunt soluta et in cælo. Attende, quęso, potestas ista a potestate illa, quam iam pridem, superiore Matthęi capite, Christus Petro elargiri dignabatur: q̃ lõge fuerit imminuta. Nam ibi datę sunt Petro magnifice claues regni cælorum: hic autem apostolis nequaq̃, sed nec ullius quidem usq̃ fit clauis mentio: ibi potestas ligãdi soluendiq; in cælis Petro confertur: hic uero minime. sed facultas ligãdi et soluendi dumtaxat in uno cælo apostolis conceditur: quo nemo non possit cito conspicere multo minorem in iurisdictione authoritatem apostolis q̃ Petro fuisse donatam. at istam quidem ligãdi et soluendi potestatem, ut facile est uidere: ad publicũ omnino forũ spectare haud dubiũ est: id quod ipsa euãgelici sermonis circumstãtia nequaq̃ latenter prodit. Namq; in eo capite, ubi Christus admonuisset fratrem primo secreto arguendum: ac deinde, eo ad uiam nõ redeunte, duobus uel tribus adhibitis testibus, corripiẽdum: ac tertio quoq; sic si non

Matthęi. 16

Matthęi. 18

si non resipuerit, detegendum fore ecclesię: protinus subiũxit. Quam si non audierit, inquit, fiat tibi sicut ethnicus et publicanus: hoc est: illum excommunices: et anathematis uinculo liges. quo nimirum statim duo intelligas: ligationem et solutionem istam ad publicum, ut aiunt, forum pertinere. Et apostolos, quorum loco succedunt episcopi: iurisdictionis potestate Petro omnino locum dare. Postremo et aliam potestatem omnibus generatim apostolis tradidit Christus: cum post suam resurrectionem insufflauerit in eos: dicens: Accipite spiritũ sanctũ: quorũ remiseritis peccata: remittentur: et quorũ retinueritis: retenta erunt: Ioãnis penultimo: ubi duo insigniter iam annotanda duxi. Primum, aliud esse ligare, aliud retinere: quando ligare quidem aliud non fuerit: nisi quempiã nouo perstringere uinculo. retinere uero, illum antiquo ligamine seruare. Deinde nec omnino idem esse soluere, et remittete: id quod Lutherus in suis assertionibus affirmat: sed nec quidem in hoc Ioannis capite, ceu apud Matthęũ quippiam de cęlo memoratur: et propterea hanc potestatẽ longe aliã esse ab ea, quæ donata fuerat apostolis Matthęi. 16. et capite. 18. pręsertim cum hic neq; de ligatione, neq; de solutiõe, neq; de ipso quoq; cęlo quicq̃ sit factũ mentionis. Verum de remissione peccatorum dumtaxat, et retentione, quæ non in publico, sed priuato conscientię foro secreto tractantur: quod neutiq̃ nõ declarat: authoritatem hanc suo modo inferiorem ac tenuem magis esse, q̃ ea, quæ Matthęi. 18. fuerat apostolorum collegio impartita: et ideo authoritatem hanc, uidelicet ferendi sententiam,

Matthęi. 16

Matthęi. 18

tentiam in peccatorem in foro conſcientiæ aut remittendi ſeu retinendi traditã iam eſſe ſacerdotibus, qui ſubſunt e= piſcopis apoſtolorum officia ſeruantibus. Licet ligandi et ſoluendi in foro publico illis poteſtas nõ tribuatur: ut nũc ambigi citato euãgelio hauc quaq̃, ut opinor, poſſit: quin Chriſtus omnia in pondere, numero, et menſura diſpo= nens, ad gubernandum corpus ſuum miſticũ: primo Pe= trum pro ſe in eccleſia ſũmũ ſacerdotem ſurrogauit: illi nõ tam claues regni cælorum, q̃ ligandi atq; ſoluendi in terra et in cælis poteſtatẽ tradens: Matthęi. 16. Deinde ut a Pe= tro, ueluti a quodã Chriſti uices gerente in terra, in alios authoritas ipſa gradatim deſcẽderet: Petro ſuffecit Chri= ſtus apoſtolos illis poteſtatem tradẽs: tam et ſi non iuxta omnẽ plenitudinẽ Petri, tñ poteſtatem ligandi atq; ſoluẽ= di ſuper terram et in cælo committens, Matthæi. 18. Po= ſtremo quia aliud eſt prorſus nihil: quod usq̃ uniuerſum pulchrius decorat: q̃ ipſe in rebus ordo diſpoſitus, ut pri= ma medijs, et media ultimis iungantur. eam ob cauſam Chriſtus, omnis decori ordinis caput et author, apoſto= lis tradidit poteſtatem in foro cõſcientiæ remittendi et re= tinendi peccata, ut eam etiam inferioribus ſacerdotibus committerent: licet ligandi et ſoluendi poteſtas in foro publico ſupiorib⁹ oino ſeruaret: ut eo demũ ordine infe= riores ſacerdotes poſtea per medios, hoc eſt epiſcopos: ſummo ſacerdoti. nempe Petri ſucceſſori concinne necte= rentur. quo, ut reor, ex euangelio cõſtare ſatis poſſit: ſum mum ſacerdotem in eccleſia Chriſti, ordinata quadam po teſtatis diſpoſitione, per inter medios inferioribus pul=

Matthęi. 16

Matthęi. 18

cherrime coniungi. Vnde et hunc euangelici sermonis sensum non a me commentatum, sed omnino uerissimũ esse. non tam ipse circumstans euangeliorum sermo prodit: q̃ etiam doctores Græci una et Latini, quos hic recensere, ne lectores grauem: omitto: clarissime ostendunt. Proinde q̃ impius sit ille Lutheranus error: omnes asserens æqualiter esse sacerdotes et authoritate pares: nõ poterit, quãtum arbitror: ex euangelica ueritate iam non euidentissime patere: de quo postea in tertio libro copiosius. De potestate autẽ illa, quã prebuerit Christus sacerdotibus sup corpus eius uerum: ut illud conficiant: confectumq; pro se et tota ecclesia, in specie panis et uini, sacrificent: sicut Paulus, qui omnibus christianis ueteris synagogæ sacrificia uetuit: docet. Omnis põtifex ex hominibus, inquit, assumptus, pro hominibus constituitur: ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Non est nostri instituti hoc tempore disceptare: quãdo illud secundo huius operis libro, ubi propriũ syntagma deposcit: maiore fruge reseruatur.

IN PONTIFICIO MAXIMO ECclesiæ Petri uaria et multiplex executio.

QVONIAM pontificium quidem ecclesiæ maximum Petro olim fuisse a Christo donatũ: iam ex euangelio exploratum satis habemus: modo restat tantũ pontificium: ubi et quando in ecclesia Christi Petrus sit executus: diligenter intueamur. In quinq; igitur rerum

negocijs ſummi pontificij munus Petrum palam et egregie obijſſe, liber actus apoſtolorum nō obſcure declarat. Primo in Mathię electione, ubi congregata eccleſia, ſurgens Petrus, tanq̄ inter eos caput, et primas de ſupplendo apoſtolatu Iudę proditoris, cęteris ſua ora prementibus, ſolus uerba de ea re fecit. Deinde exprobrantibus Iudæis, q̄ Chriſti apoſtoli uarijs linguis iccirco loquerētur: quia ipſi iam muſto maderent: ſurgens Petrus, tanq̄ pōtifex pro Chriſti tuenda eccleſia maximus, undecim apoſtolis, ueluti eius cardinalibus, per coronam circumfuſis, eos prorſus ab omni inſimilata ebrietate, per ſcripturas fortiter defenderat: et contra hoſtes Chriſti, ueluti dux in acie, acriter inuectus: donum tantum non aliunde q̄ ab uno Chriſto, quem tam impie crucifixerunt: fuiſſe profectum: e prophetarum oraculis liquido oſtenderat. Tertio, conuocatis apoſtolis corā Anna et Caypha, cęteriſq̄ primoribus Iudæorū, ut de ſanato claudo rationem redderent: non Ioannes, nō Iacobus, nec aliorum apoſtolorum quiſquam, ſed ſolus Petrus, tanq̄ ſummus in terris euangelij pontifex, et apoſtolorum princeps ac caput, cūctis ſpectantibus Iudæorum proceribus, orationem habuit: cauſam intrepidus impauiduſq̄ tractauit: principū malitiā fregit: et eorū cæcitatē audacter reuicit. Quarto, ſacrilegum Ananiæ et Saphiræ faſcinus, nullus niſi unus Petrus, tanq̄ eccleſiæ pōtifex maximus, inſolita pœna puniuit. Quinto, cū de ceſſatione legalium, coacta in unū eccleſia, quęſtio ac controuerſia grauis exurgeret. Quis obſecro, hāc litē diremit? quis nodū eius quęſtiōis diſſoluit?

Actuum. 1.

Actuum. 2.

Actuum. 4.

Actuum. 5.

 an Paulus

an Paulus, ad tertium usq; cælum raptus? an Ioannes ille, de dominici pectoris fonte potatus? an alius apostolorum quispiam? nequaquam. Quis ergo? Nimirũ unus Petrus, ueluti pontifex ecclesiæ maximus, eam ad plenum diffiniuit: ut de cętero plane catholicis ambigendum minime fuerit: quin in Christi ecclesia Petrus summum se sacerdotem ęgregie gesserat: et pontificium maximum omnibus in rebus ubiq; pręclare exercuerit.

PONTIFICIVM MAXIMVM PEtri multa et grandia confirmarunt miracula.

CVM ENIN constituisset deus nouum ecclesię pōtificiũ in Petro: iam inde ab ipso exordio, pro dignitate honorare atq; illustare, eam certe potestatem Petro attribuit: ut talia solo uerbo palam efficeret: qualia uniuersus mundus stupens admiraretur. Nam quinq; perfidorum iudæorum millia, qui recente adhuc Christi sanguine madebant: Christo una die solo uerbo lucrifecerat. Christi spiritũ in omnes, qui eũ audierant: uisibiliter illabi fecerat. Claudus ab utero matris, mandante Petro, pedibus sanus prosilijt in publicum: Aeneam paraliticũ solo sermone curauit: Tabitã iam mortuam uerbo ad uitam reuocauit: et quod a cunctis retro seculis inauditum fuit: debiles atq; ægrotos (mirabile spectaculũ) sola corporis umbra sanauerat. Proinde deus cum falsi testimonij nec origo nec fautor esse possit: Summum pōtificium Petri ac

Actuum. 2.
Actuum. 9.
Actuum. 9.
Actuum. 5.

tri ac

tri, ac eius successorum, ex deo esse institutum nemo, nisi blasphemus et hostis dei inficias: iuerit. Nam si Petrus pontificium in ecclesia maximum, non iubente deo, suscepit: sed aroganter occupauit: et sibi sacerdotium summũ iniuste usurpauit: cuius exemplo ducti, Linus, Cletus, Clemens, et reliqui eius successores, omnes id etiã postea fecerunt: Quomodo, quęso, deus ipse falsitatis caput et author non est: qui Petrum, et huiusmodi in ecclesia summi pontificij usurpatores, immensis prodigijs et summis miraculis nobilitauit: pariter et defendit? Quãdoquidem omnes fere summi põtifices, per trecentos annos, superq; usq; ad pontificem Siluestrum, passim magnorum miraculorum authores fuere. Cum ergo deus testis uerus et iustus iudex ubiq; probatur: summum profecto pontificiũ Petri et successorũ eius, quos per tam longos temporum successus tot deus insigniuit miraculis: necesse est: deo authore, ut uerum simul etiam et iustum habeatur: ac sit. Verum interim nec id omittamus: summum Petri pontificium etiam cur Romanũ dicitur. Nempe non ideo Romanum appellatur: q; summum Petri pontificium alibi esse non queat: sed quadam congruitate illic esse decuit: uidelicet ut ubi fuerat summũ mundi imperium: ibi quoq; summũ Christi statueretur sacerdotium. Synagoga quippe cum suo sacerdotio hinc inde, tandiu est peregre profecta: donec commigraret Hierosolimam, supremam Iudææ metropolim: ubi diu commorata, usq; ad tempora Christi, fixa stetit. Postea uero ecclesia Christi primo Hierosolimis exorsa: sed illic a iudæis odiosius turbata.

Cur sedes apostolica romana apellatur.

Relinquens Iudæam, peregrinari cœpit Antiochiam: inter alienos locupletanda, et cumulatissimum apud gentes animarum quæstum susceptura: quandoquidem inter eas summi pontificij cathedram, celebri gentium frequentia atq; consensu, Petrus suscepit: non q antea pontificij cathedram Petrus non obtinuerat: sed q summi pontificij eius cathedra illic tūc primo fuerat solemniter a gentibus admissa celebrataq;. At ubi ecclesia Christi cū sua sede aliquandiu esset cōmorata Antiochiæ: tandem Romam, ubi nunc est: migrauit: Vt quemadmodum summum sacerdotium Aaronis fixum fuerat olim Hierosolima, metropoli summa Iudææ: ita et summū pontificium uicarij Christi foret etiam sitū in urbe Roma, metropoli maxima mundi. Vnde non exigua quidem, sed grandis plane congruentia fuit: cur Christi ecclesia non Hierosolimitana, nō Antiochiana, sed a præcipua sede potius Romana uocaretur. Nūc ergo uidetis dilucide: ex canone biblico nos iam in mediū quinq; aperte depromsisse. Primo, pōtificiū maximū, quod nos hodie papatū uocamus: iuris esse naturæ, diuini pariter et euangelici: ac ideo non ab hominis sed diuini numinis authoritate exortum. Secundo, pontificium maximū ante Christi passionem Petro haud obscure fuisse promissum. Tertio, post Christi resurrectionem e uestigio Petro fuisse donatum. Quarto, munus pōtificium a Petro mox magnifice fuisse administratum. Postremo, muneris pontificij administrationem miraculis diuinis passim fuisse confirmatam. Quamobrem si pōtificium in ecclesia Christi maximum iuris esse naturę, diuini

uini pariter et euangelici, Lutherus iste modo non perspiciat: tenebras ꝓfecto patit̃ plusq̃ cimerias. Nã ꝙ cimerij atris premũtur tenebris: nihil quidẽ est: ut quis miretur: cum solem illis nunq̃ oriri cosmographi tradunt. Quod autem Lutherus, cui euangelicę ueritatis splendor iam palam effulsit: pontificium maximum in ecclesia Christi iuris esse euangelici adhuc non uideat: supra q̃ dici potest: admiror. Sed certe uerũ est: quod uulgo dicitur: Illo exoculatiorem esse neminem, q̃ qui sibi ipsi, ne uideat: oculos pręstrinxerit. Cæterum condonent mihi, quęso, cãdidi lectores: si in hac causa prolixior fuerim: res enim ipsa urgebat. Quippe sublato summo sacerdotio: hoc solũ profecto reliquum fuit: ut sacerdotium in ecclesia Christi, nec postremum nec medium foret: sed omnes diuino excusso timore omnia prorsus licẽter et impune agerent: atq; Babylonicæ confusioni singula paterent. Quod callide satis VViclefus perspiciens: erat enim homo ingenio malo prauoq;: sacerdotiũ summũ e medio tollere olim manibꝰ pedibusq; conabatur. Quod et ipsũ quoq; hodie facere haud dissimili impietate Lutherus molitur. id quod absq; ulla dubitatiõe me in præsẽtia de hac re copiosius scribere uehementer impulerat. Porro de scelerũ cõdonationibus, ac indulgentijs, quas uocãt: disserere: aut de eis iam aliquid pro dignitate rei dicere: parum, fateor, mihi suppetit uiriũ: et ideo id doctioribus, et quibus plus ocij est tractãdum: relinquimus. Proinde de indulgentijs, quas nullus aliquãdo catholicorũ negauit: hoc in loco disserere haud quaq̃ destinauerimus: partim, quod id uisum fuerit opor

tuniori

tuniori tempori et loco reseruādum: partim, quod nostri iam instituti non sit de scelerū uenijs et cōdonationibus (quibus utinam summi pontifices cū modestia partius et nequaq̃ profuse uterentur:) in pręsentiarum dicere: sed potius pro sacramentorum defensione, Lutheri sophismatibus cito et mature occurrere: ne sint post bella suppetiæ. Nec est: cur quisquam mihi iuste uitio uertat: si cultui et phaleris uerborum nihil inseruiam: quandoquidem probo militi id in primis consultum esse debeat: ut arma gerat in bello magis fida q̃ splendida: ensem plus ualidum q̃ rutilum: quod utique quoad ualeamus: pro nostra uirili curabimus: Verum iam ad reliqua, quæ dicit Lutherus: si tamen aliquid dicit: qui nunq̃ ulla bene dicit: nostra demū redeat oratio.

EXPLICITVS EST LIBER PRIMVS DE SVMMO SACERDOTIO EVANGELICO.

SEQVITVR LIBER SECVNDVS DE VERITATE SACRAMENTI ALTARIS.

Primo

LVTHERVS.

PRIMO neganda sunt mihi septem sacramenta: et tãtum tria pro tempore ponenda: baptismus, pœnitentia, et panis: Et hæc omnia per Romanam curiam in miserabilem captiuitatem ducta: q̃q̃ si usu scripturæ loqui uelim: nisi unum sacramentũ habeã: et tria signa sacramentalia: de quo latius suo tempore. &c.

Os tuum locutũ est nequitiam.

Onager ferens archana in fine reuelanda.

POVELVS.

SI MIHI modo cum eo res esset: qui Hieronymum, qui Augustinum, qui aliorum quempiam uetustissimorum ecclesiæ doctorum admitteret: aut certe scripturas sacras, data opera, non interuerteret: tolerabile hoc certaminis genus foret. Nunc uero, quia cum eo negociũ geritur: qui omnium prorsus antiquorum theologorum authoritatem eminus a se relegauit: nec sacras literas permanere ita synceras sinit: ut rectum ac uerum earum sensum passim nõ impuret: necessum est: ut noster deinceps conatus et studium eo tendat: quo dilucide commonstremus: non solum scripturas sacras, ab ipsa catholica et germana ueritatis intelligentia, q̃ procul Lutherus distraxerat: sed etiam in singulis, quæ scribit: cum se ipso q̃ infeste omni ex parte pugnauerit. Nec fieri profecto ullo pacto poterit: ut is cũ se ipso nõ maxime dissideat: qui cum diuinis literis bellum gerens, uiolenta interpretatiõe ubilibet eas male infestat. Audiamus igitur ante omnia q̃ catholicum habet iam Lutherus, pugnæ suę et disputatiõis, initiũ. Primo, neganda sunt mihi, inquit, septem sacramen-

ta. Quid, obsecro, mirum est: si septem nunc sacramenta Lutherus, cui nihil est sacrum, nec quicq̃ cum sacris commune: inficias ire non erubeat? Quando paulo ante summum sacerdotium palam ipse negarat. quo uno semel adempto, ilico cōsequēs fuit: ut et sacramenta etiam e medio tollantur. Tria tamen sacramenta frater ipse sanctulus ponit: baptismum, pœnitentiam, et panem: sed ista, inquit, non nisi pro tēpore: et insigniter quidē dixerit nō nisi pro tempore: quandoquidem e tribus duo sacramenta uir iste trium literarum incontanter suffuratur. Nam si uelim, inquit, secundum usum scripturę loqui: non habeo nisi unū sacramentum, et tria signa sacramentalia. Ecce hydra sibilans. Primo tria sacramenta posuit: et iam nisi unum concedit, et hoc quidem ęgre: quia usus, inquit, scripturę nō aliud admittit. nec interim tamen ubi sit talis scripturæ usus: homo mendax et uanus ostendit: nec quodnam sit illud sacramentum unum: artifex doli exponit: nec quæ sint illa tria signa sacramentalia: homo uersipellis aperit: sed adeo omnia uerbis intricat: ut plane opus sit Oedipo quopiam: qui soluat ęnigmata Sphingis. Nec mirū quidem: quoniam qui male agit: odit lucem: nec uenit ad lucē: ne manifestētur opera eius. Sed de his, inquit Lutherus, latius suo tēpore: sed eq̃dē nescio quo: nisi quādo cū septē sacramentis forte est ipse fidē etiā negaturus. Nam ad Calendas græcas, cū mulę pepererint: est ipse de sacramentis ecclesiæ aliq̃n dicturus bene: qui mox in ipsa operis fronte septem sacramenta negauit. Nec poterunt quidem tam impia rerum initia: alios q̃ impijssimos exitus polliceri.

Sacrilegiū Lutheranū

Impostura Lutheri.

Joannis. 3.

policeri: cum ex uenenato principio q̃ uirulentus futurus sit finis: quiuis consequi coniectura facile queat.

LVTHERVS.

NVNC DE sacramento panis omnium primo itaq; dicam: Quid in hoc sacramenti ministerio meditatus promouerim: primo caput Ioannis sexto in totum est seponendum: ut quod nec sillaba quidem de sacramento loquitur. &c.

Concepisti iniustitiam et peperisti iniquitaté.

POVELVS.

QVAM religiosa mentis pietate sanctissimum altaris sacramentum Lutherus ueneratur, ac colit: hic eius uerba religiosa scilicet palam faciunt. Iam, inquit, de sacramãto panis omnium primo dicam. Porro cum iampridem superiore capite sacramentum altaris, honorem et cõsolationem prorsus generis humani uocarit dumtaxat panem: his uerbis: Tria sunt sacramẽta pro tempore ponenda: baptismus, pœnitentia, et panis. Ecce eucharistiam non nisi panem nuncupabat. Nulla tanti sacramenti ex nomine, habita dignitatis ratione: tunc forte in Christum et ecclesiam ira sęuiens. Nunc uero, furorem pectoris sui aliqua ex parte temporans, sacramentum altaris nõ uocat panem: sed sacramentum panis. Nunc, inquit, omnium primo de sacramento panis dicam. Sed cur, quęso, rem tantę uenerationis et maiestatis non sacramentum altaris, non eucharistiam, nõ sacramentũ corporis Christi pro reuerentia uocitabat? Quemadmodum tota ecclesia et omnes catholici semper appellauere? Nempe qui destinauit refragari sacramentum altaris esse oblationem,

esse sacrificium, missam non esse opus bonũ: atq; spoliare eã uestibus, ornamentis, lucernis, cęremonijs, cãtu, organis, et uniuersa sensibilium rerũ gloria, quemadmodum totis adductis lacertis Lutherus inferius depugnat: illi plane idoneum et necessarium omnino fuerat: ante omnia aliquam callide parare sibi uiam: qua tanti sacramenti uetus et honoratũ nomen in deterius uerteret: et nõ eucharistiã, non sacramentũ altaris, nõ sacramentum corporis Christi: sed exiliori tenuiq; magis nomenclatura panẽ et sacramentũ panis uocaret: ut sublata a sacramento prisci nominis dignitate, et panis uocabulo illi imposito, omnẽ prorsus honorem a corpore Christi, in panem facile nõ tã transferret: q̃ illic solum panem esse populũ doceret. Atq; his demum colubrinis insidijs futurum: ut ob id cito imperitis suadeat: quod omnium maxime cõmolitur: uti per subiecta inclarescet: Videlicet sacramentum altaris nõ esse sacrificium: missam, quam uocant: non esse opus bonũ: nec ullo rerum ornatu aliquando decorandam. Itaq; iste cancer, licet primo in cute leuiter serpere uideatur: postea tamen grauissime punget: et ad intima usq; penetrabit. Id quod consequens eius sermo subinde prodit. Dicã, inquit Lutherus: quid in huius sacramenti ministerio meditatus promouerim. Non enim quid ipse ex sanctissimorum doctorũ sententijs est humiliter scrutatus: sed quid e suo cerebro male sano est impie meditatus: ostendit: dicens: Caput Ioannis sexto in totum est seponendum: ut quod nec sillaba quidem de sacramento loquitur. Porro Lutherus, in malũ Vlisse astutior ac uersipellior, sacramẽtum

Cancer i cute medullis minatur.

tum altaris christianis derogare cogitans: cũ prospiceret lince quidem acutius: nusquã posse sibi maiorem obicem occurrere, q̃ caput illud Ioannis. 6. præsertim cum in eo agatur de eucharistia, non solum quemadmodũ sit sacramentum, sed etiam ecclesiæ sacrificium: ea propter statim in ipso primo operis limine (si tamen opus dicendum sit: quod perpetuis tenebris fuerat damnandum) grandem protinus sibi suscepit prouinciam: ut uerum illius capitis sensum pene totum inuertat: Atq; undiq; prorsus impuret: caput Ioannis sexto, inquit: In toto est seponendum: ut quod nec sillaba quidem de sacramento loquitur. Ecce homo materia idonea fumi: qui ut sacramentum altaris cum cæteris sacramentis prorsus euertat: nullam partem ne minimam quidem illius capitis Ioannis. 6. uult de eucharistia intelligi. Nec tamen puduit eum asseuerare, etiã in hoc se sacramentum altaris omnino promouere: cum latere quidem non potest: aliud nihil eum magis conari, q̃ ut sacramentum altaris funditus subuertat: non autem promoueat. At q̃q̃ doctissimi quiq; Græci simul et Latini hoc caput Ioannis, pro non exigua parte, de sacramento altaris exponunt: eorum tamen Lutherus admittit neminem. cum res alioqui tam perspicua fuerit: ut uel cæco appareat: in illo capite Ioannis non solum de pane corporali ac spiritali, sed etiam sacramentali agi. Vnde ubi paulo post, contra Romanam ecclesiam uehementer laborãs, allegat pro se martyrem Ciprianum: tam et si ad rem non recte satis: affirmans illum abunde esse potentem contra omnes Romanistas. Nos etiam in hac re uicissim opponamus

Clauus clauo retũdit.

ponamus ei eūdem Ciprianum. Is enim in sermone quodam, quem de oratione dominica ędidit: hoc caput Ioannis de sacramento altaris exoluit: his uerbis: Panem nostrum quotidianum: eucharistiam quotidie ad cibum salutis postulamus: Christo prædicante et monente: Ego sum panis uiuus: qui de cælo descendi: qui manducat ex hoc pane: uiuet in ęternum. Sed et quæ sequuntur in eodem capite de eucharistia non aliter interpretatus. Cum igitur Lutherus iste paulo post, non pro ueritate, sed pro sua uanitate disputans: illius Cipriani authoritatem tanti ducit: ut contendat unum Ciprianum satis potentem contra omnes Romanēses. Idem profecto Ciprianus exoluens caput Ioan. 6. de sacramento altaris, si Lutherus chirographū suū bene agnouerit: abunde etiā ualebit cōtra omnes vviclefenses. Sed obijcit opponitq; nūc primo Lutherus: ꝙ cum uerba ista Ioannis. 6. Christus loqueretur: sacramentum altaris non dum fuisset institutum: ac ideo uerba Christi de sacramento non posse intelligi. Etenim quemadmodum litera euangelica eo in loco nobis claro est documento: etiam si sacramentum non dum fuerat institutum. tamen panis sacramentalis institutionem tunc Christus promiserat: dicens: Panis, quem ego dabo: caro mea est pro mundi uita. Litigabant ergo Iudæi: dicentes: Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandū? uerba Christi carnaliter sapientes: tanꝙ ex carnificina, uel macello quopiam, caro Christi uenalis, eorum dentibus conficienda subijceretur. Quamobrem Christus, ut eorum sensum improbum ac rudem excuteret: et

Luther⁹ suis uerbis ceditur.

Obiectio Lutheri.

Enodatur sophisma.

ret: et spirituali sensu eos instrueret: continuo subiunxit. Verba, quæ loquutus sum uobis de carne mea manducanda: spiritus et uita sunt: hoc est: spiritualem habent intellectum. De manducatione sacramentali seu spirituali nō carnali, adeo ut cuiuis iam liquere satis potest: Christum ipsum, Ioannis. 6. loqui, non solū de manducatione spirituali, quæ est per fidem: sed etiam de manducatione sacramentali: quæ pariter ad salutem necessaria erit: presertim in uoto, licet non semper in re. Proinde hoc iam a ueris Christi cultoribus, tanq̃ ratum et firmū habeatur: uerba uidelicet Christi, Ioannis sexto, de eucharistia omnino dici. nō quia Ciprianus, quem Lutherus, quoties aliquid suadere uelit: magnifacit: licet alias eundē floccipendat: hoc dicit. Sed quia euāgelici textus ordo, ut iā audistis: sic clare indicat: illa ipsa plane de sacramento altaris intelligi oportere: quod omniū pene et Græcorū et Latinorū calculis comprobatur. Nec pondus quidem aut fidem ullam habet: quod postea sophista iste Lutherus iactat. Si, inquit, quod Christus ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis: et sanguinem eius biberitis: non habebitis uitā in uobis. Si de sacramentali manducatione intelligantur: omnes, inquit, infātes, et aliter a perceptione impeditos, damnaret. Verum istud sophisma denuo in ipsius caput recidit. Nam si de manducatione spirituali per fidem uerba Christi dicantur: tunc prorsus damnant etiam omnes infantes, et natura stolidos, etiam baptizatos: quia fidem nō habent: ut qui omni rationis usu carent. Quod si dixerit eos saluari in fide sacramenti aliena: quemadmodum

Ioan. 6.

Commentū Lutheri.

Thecna Lutheri refellitur.

postea

postea dicit: sacramẽtum baptismi in multis impie taxãs. Quare ergo non saluantur infantes, et aliter a sacramentali perceptione impediti, etiã in fide et uoto alieno? Fefellit ergo te plurimum mens tua Luthere: nam sacras literas non in pondere, ut deberes sanctuarij: sed uili et cõmuni trutinas: omnia e tuo cerebro dimensus: qui si id, quod nusq̃ facis: eas uel ex ipsa phrasi uel circumstãte canonum sermone quandoq; expenderes: quantis uersaris erroribus: cito profecto deprehendisses.

LVTHERVS.

SED FINGE me ex aduerso stare: et dominos meos papistas interragare: totum sacramentũ, seu utraq; species in cœna domini: an datũ est solis presbyteris: aut simul laicis. si solis presbiteris (id enim uolunt) iam nullo modo licet ullam speciem dare laicis: nõ enim temere dãdum est: cui Christus prima institutione non dedit. &c.

Lingua tua cõcinuat dolos.

POVELVS.

HOC IGITVR sophisma, in quo perq̃ superbe iste ludit Lutherus: tanq̃ ne ab Apolline quidẽ Delphico queat absolui. Iã primo uideamus: et super tã bello sophista, nisi res ipsa seria esset: etiã rideamus: et primo suo ense ipse referiatur. Concede ergo, me nunc e regione stare: ac dominũ meũ Lutherum adstipulari. Sacramentum in cœna domini, an datum est solis uiris: aut simul mulieribus? Si solis uiris, quod credo: Lutherus respondebit: iam nullo quidem pacto licet ullam speciem date mulieribus. non enim temere dandum est: cui Christus prima institutione non dedit. Hic rursus dominum meũ

Lutherũ so phisma suũ profligat.

Lutherũ,

Lutherum, si tamen dominus fuerit: qui sese totum erro=
ribus mancipauit: denuo interrogo: an utraq; species in
cœna domini data fuerit solis Iudæis: aut simul gẽtibus.
Si solis Iudęis, hoc enim necessum est Lutherum asserere:
quoniam Iudęis cum gẽtibus mensa nunq̃ fuit cõmunis. Ioannis. 4.
scriptum est enim: Non coutũtur iudęi samaritanis. Iam
profecto nullo modo licet ullam speciem sacramenti dare
alijs q̃ iudęis: quia temere non est dandum: cui Christus
prima sua institutione non dedit: Itaq; in excreantem re=
cidit: quod in cælum expuit. Cõspicitis ergo, in rebus sa=
cris atq; diuinis, q̃ pulchre ludit Lutherus: etiam suo ense
repercussus. Qui si in humanis sic luderet: nescio equidẽ:
an tolerabile foret. Sed quid est, rogo, quod iste nouus do=
li cõmentator mendacia capitis sui nobis pro ueris obtru=
dit? Certans, in cœna domini laicos etiam, sub utraque
specie, communicasse: cum illius in scriptura sacra nulla
usq̃ incidat mentio: nec quicq̃ in Christiana fide, uti ipse
postea contendit: sit ulla ex parte affirmandum: quod cla
ris apertisq; scripturis non fuerit comprobatum. Et ideo
homo scripturarum parum gnarus, Lucam iam audiat: Lucæ. 22.
quid ipse in hac re ait. Cum facta esset, inquit, hora cœnę:
discubuit Iesus et duodecim discipuli cum illo: et accepto
pane, gratias ęgit: fregit: et dedit eis. Ecce Lucas comme
morat non laicos: sed duodecim dumtaxat discipulos in=
terfuisse cœnæ Christi. et sub utraque specie, communi=
casse. Audiat præterea et Matthęum: cuius hęc sunt uer=
ba. Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem: et be=
nedixit: ac fregit: deditq; discipulis suis. Attende, quæ=

ſo, q̃ aperte his uerbis teſtatur Matthęus: non alios q̃ diſcipulos a Chriſto in cœna ſacramentum ſumpſiſſe. Nam
Lucę.22. et Lucas ipſe alibi etiam ait Chriſtum his, quos in cœna comunicauit: dixiſſe: Hoc facite in meam commemorationem. Conficere namq;, aut corpus Chriſti conſecrare, non ad laicos, ſed ad ſolos presbiteros pertinet. Videtis ergo iam aperte mendacem hunc ab euangeliſtis Chriſti undequaq; confoſſum. Nec in cœna alios communicaſſe, ſub utraq; ſpecie, q̃ ſolos diſcipulos, ſolosq; presbiteros: ut quibus Chriſtus conſecrandi poteſtatem dede-
Lucę.22. rat: dicens: Hoc facite in meam cõmemorationem. Quod autem homo iſte, ommi ſophiſta nugatior, addit. Si poſſit utra ſpecies negare laicis. poterit eis et pars baptiſmi ac pœnitentię tolli eodem arbitrio eccleſiæ. Sed ubi, quęſo, didicit nugator noſter, andabatarum more gladium in tenebris uentilans, baptiſmum, aut abſolutionem, aut remiſſionem peccatorum, partes habere? cum etiam ipſe fateatur utrunq; tantum in uſu conſtare: partem ibi quærens: ubi quęrenda non eſt: in ęquore uenari, et in montibus expiſcari conatus. Quod uero deinde dicit presbiteris in ſacris non licere tantũ unam ſpeciem accipere, ſub pœna peccati mortalis: non ob aliam cauſam, q̃ φ utraq; ſpecies ſit plenum ſacramentum: quod diuidi non debet. Mentitur nimirum homo impius, e ſuo cerebro ſibi cauſam commentatus: narrans nobis iniquas fabulationes domine: ſed non ut lex tua. Nam quamuis una ſpecies ſacramenti ſit plenum ſacramentum: propterea φ totum Chriſtum plene contineat: ac ideo laicus unã ſpeciem accipiens,

Prima obiectio Lutheri.

2. obiectio Lutheri.

Mendaciũ Lutheri.

Pſalmo.118.

cipiens, abunde communicat. tamen una ſpecies ſacramē= ti nō eſt plenum ſacrificium. Cum quilibet ergo ſacerdos rem faciens diuinam, ſacrificat (uti poſtea ſcriptura doce= bit) debet plane ipſe ſacerdos in ſacro utranq; ſpeciem ſa= cramenti conſecrare et ſumere. Alioqui plenum ſacrificiū Chriſti in cruce non exprimeret. Quod autem homo tur= bulentus (quia cor impij quaſi mare feruens) adhuc non quieſcis ſed addis. Si uini ſpeciem poteſt eccleſia tollere la= icis: poteſt et panis ſpeciem tollere. Ergo poterit et totū ſacramentum altaris tollere. En homo callidus et bipedū ſophiſtiſſimus: qui cum nec ſcripturam, nec rationem ul= lam ſibiupereſſe uideret: qua ſuum nobis errorem pro= baret: ſophiſmatibus probare deſudat meraciſſimis: quia is aulœdus ſaltem uideatur: qui non poſſit, nec eſſe, nec haberi cytharœdus. Si uini, inquit, ſpeciem poteſt eccle= ſia tollere laicis: poteſt et panis ſpeciem tollere. Ergo po= teſt totum ſacramentum altaris tollere. Probe ſcilicet cum et hanc argutandi rationem argutele Luthere facile in te authorem refundimus. Si homini medico, aut chirurgico phas ſit ęgroto corporis partem unam aliquam adimere: poteſt et aliā. Veluti, ſi citra culpam poſſit amputare ho= mini manum: poteſt et ſibi caput tollere. Ergo poteſt to= tum hominem perdere. Si hoc diſputandi genus ſubſanā= dum ſit: ut omnino ridiculum: cur non potius ſe ipſum Lutherus derideat: tales ueniarū nobis eructās ineptias? Verum hoc peculiare iſti nugaculo eſt, ut quod nullis ar= gumentis conuincat, nec ratione: id ſtrophis ac meris ca= uillis ꝓbare elaboret. Qꝫ q̄ ſua omnia perinde munit ho=

3. biectio. Lutheri.

Lutherum ſua caſtra expugnant.

mo sophista: acsi aquilam irrhetire uelit aranearum telis. Proinde et si nec dignus sit: cui quisquã respõdeat: tamen ut nostræ religionis hominibus, quibus Lutherus sit oppido infestus: utcunq; satisfaciamus: nã illi nihil faciet satis unq̃: id nimirũ dubium non est: quin legittima nacta causa cũ diuinis interdũ dissperset, ut ita loquar: pręceptis. Alioqui quid iã de matrimonio dicet: cuius unitas sic iuris est diuini: ut duas simul habere uxores liceat nulli?
Genes. 16. Q̃ q̃ neutro peccante, et Abrahã bigam⁹, et Iacob quadrigamus fuerat: Ysaac semper monogamo. Quod si in re
Genes. 33. pene omniũ maxima, sic olim disspẽsatũ fuerat: cur idem hodie detrahať ecclesiæ: quo minus et ipsa in minoribus disspẽsare queat? Vnde illud nobis in primis aduertendũ erit: in diuinis quoq; pręceptis, neque his leuibus causas quandoq; emergere: cur citra diuinam iniuriam cum illis etiam iuste disspensetur. Exempli causa. serpentem æneũ olim in deserto erigi deus mandauerit: contumelia tamen
4. regũ. 18. diuina non fuit: q Ezachias iusserat illũ minutissime confringi. 4. regum. 18. Rursus sacramentum circumcisionis, quod omnium in lege maximum erat: districtiusq; iudeis mandatum. Synagoga etiam per quadraginta annos in
Iusue. 5. solitudine de medio prorsus sustulerat. Neq; id ob aliam causam, q̃ inde q castrorum motione, quæ illis fuerat semper incerta: circumcisis ingens uitæ periculũ immineret. Et tamen in minoribus sacramentis, et dei pręceptis, ubi par causa nõ succurrebat: simile quiddam synagoga neutiquam patrauit. Itaq; cur species uini laicis tollatur: facit reuerentia sacrosancti sanguinis Christi: ne ab ijs scilicet

cet parum reuerenter tractetur: effundatur: aut in acetũ, quod facile fit: uertatur: aut aliquid aliud maius: uti postea eliquebit: quod ecclesia cur fecerit: melius etiam ipsa nouit. In sacramento autẽ panis quare laicis detrahatur: nec similis causa. Nec ulla par ratio occurrit: sed instat adhuc Lutherus: Hoc inquit maxime omniũ me urget: penitusq́ cõcludit: ꝙ Christus dicit: Hic est sanguis meus: qui pro uobis, et pro multis, effundetur in remissionẽ peccatorum. Quid enim hoc homine nugatius, qui cum ex his Christi uerbis aliud nihil, etiam si uim illis inferre uelit: elicere possit: q̃ ꝙ Christus pro multis esset sanguinẽ suũ fusurus. Vult tñ homo frõtis perfrictę plusq̃ meretricię, qui quoduis ex quolibet probare contendit: mox per quasdam ineptas uerborũ ambages colligere utranq́ speciem sacramenti, ex necessitate præcepti debere laicis dari adeo sibi non difficile erat in argumento plusq̃ sophistico fiduciam suam locare: ut mihi quidem mirũ non sit: quod parisienses, uiri proculdubio eruditi quidẽ admodum iam pridem persenserunt nebuloni isti, non scripturarum authoritatibus, quibus passim pro sua libidine abutitur: sed fasciculorum incendijs potius esse satisfaciendum. Matthęi. 26

LVTHERVS.

VLTIMO stat inuictus Paulus omnium obstruens ora. I. ad Chorinthios. Ego accepi a domino: quod et tradidi uobis: significans utranq́ speciem eis tradidisse non permisisse: ut frater e suo cerebro mentitur: sed tradidisse; id est: præcepisse: sicut alibi utitur eodem uerbo &cę. Os tuum locutũ est mẽdacium.

POVELVS.

LICET ne quid interim digladiemur: non sit iam: qui multum neget: in ipso nascentis ecclesię primordio utranque speciem solitam laicis dari: tamen id diuino pręcepto fuisse factū Luthere nulla unq̄ ratione uerisimiliter suadere poteris. Nam non opinor ex uerbis illis Christi, qui
Ioan. 6. habentur Ioannis. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis: et eius sanguinem biberitis: non habebitis uitam in uobis. Tua aliquando probabis: pręsertim cum ne minimam quidem illius capitis particulam de sacramento altaris posse intelligi: ipse contendas. Neque uero id probas ex uerbis Pauli: quę sunt ad Corinthios: Ego accepi a domino: quod et tradidi uobis: hoc est, inquis, pręcepi tradi uobis: sicut alibi, inquis, utitur eodem uerbo: sed locū, in quo eo uerbo sic usus sit Paulus: q̄a afferre nescieris: astutus ac mēdax reticuisti. Afferre enim nō poteras: quod in scripturis sacris nusq̄ inueneris. Pręterea paulo ante suspenso naso, fratrē tu frater momus, ueluti e sublimi derisisti: q̄ tradidi uobis: ꝓ permisi tradi uobis interpretatus sit: cum interim ipse, ab omnibus iure ridendus, nihil erubueris: tradidi uobis pro pręcepi tradi uobis accipere: atque interpretari, quasi pulchra res fuerit: ut uidentem cæcus, et loripes recte incedentem derideat. Sed permittamus iam tibi Luthere, ut semper soles: in scripturis ludere: uerba Christi atque apostolorum adulterare: atque pro tua libidine omnia perperā interpretari: modo nos scripturis eisdē sacris caste (uti par est) utamur: imo agamus Luthere: quādo ita cupis: ut pro uoto tuo intelligas: Ego accepi a do-
I. Cor. 11. mino

Nudatur Lutheri cōmentum.

mino: quod et tradidi uobis: id est pręcepi tradi uobis: ut utrāq; speciē laicis dare: sit ex necessitate precepti. Quod si tibi hoc ita uideatur: erit profecto ex necessitate pręcepti, laicos etiā utranq; speciem accipere: quandoquidem sicut eodē pręcepto obligatę sunt gētes apostolos audire. Quo apostoli ipsi pręcepti sūt illis prædicare. Ita eodem haud dubie ac simili mandato deuincti sunt laici utrāq; speciem accipere. quo astringuntur sacerdotes utranq; speciem illis porrigere ac dare. Cum igitur nullo diuini præcepti uinculo, ut ipse Luthere asseris: astringuntur laici ulla specie uti. cum id affirmes: eorum relictum arbitrio: ita profecto nec ulla obligatione tenētur sacrifici utranq; illis speciem ministrare: sed libere eorum committitur uolūtati. siquidem pari nexu obligantur illi ad recipiendum: atq; hi ad donandum. Verum missas nunc faciamus bullatas istas Lutheri nugas: qui etiā in nugis tragœdias agere et potest: et solet: interim ut i hac re serius agamus. Demus nūc Luthero: quod tantopere sitit. Diuinū præceptū esse utranq; speciem laicis dare: licet certe aliud non sit: quod poterit ipse e scripturis sacris minus probare: uti consequens oratio cito ꝓdet. tamen cur ceruicem erigens adeo contra Christi ecclesiam bulla infletur: insultetq;, quasi ecclesia catholica idonea ac cōgrua in ea parte explorata causa, pro suo iure, dissipensare non queat? Nam omnium pene præceptorum, diuina institutione: hebręis olim arctius iniunctum, fuit citra contrauersiam una circumcisio: quando pręceptum sit: Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit: peribit anima eius de populo suo

Ciuilis admissio Lutheranę sententiæ.

reuulsio pręmissę sententię.

Genes. 17.

POVELVS.

LICET ne quid interim digladiemur: non sit iam: qui multum neget: in ipso nascentis ecclesię primordio utranque speciem solitam laici s dari: tamen id diuino pręcepto fuisse factū Luthere nulla unq̄ ratione uerisimiliter suadere poteris. Nam non opinor ex uerbis illis Christi, qui
Ioan. 6. habentur Ioannis. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis: et eius sanguinem biberitis: non habebitis uitam in uobis. Tua aliquando probabis: pręsertim cum ne minimam quidem illius capitis particulam de sacramento altaris posse intelligi: ipse contendas. Neque uero id probas ex uerbis Pauli: quę sunt ad Corinthios: Ego accepi a domino: quod et tradidi uobis: hoc est, inquis, pręcepi tra-
Nudatur Lutheri cōmentum. di uobis: sicut alibi, inquis, utitur eodem uerbo: sed locū, in quo eo uerbo sic usus sit Paulus: qa afferre nescieris: astutus ac mēdax reticuisti. Afferre enim nō poteras: quod in scripturis sacris nusq̄ inueneris. Pręterea paulo ante suspenso naso, fratrē tu frater momus, ueluti e sublimi derisisti: q̄ tradidi uobis: ꝓ permisi tradi uobis interpretatus sit: cum interim ipse, ab omnibus iure ridendus, nihil erubueris: tradidi uobis pro pręcepi tradi uobis accipere: atque interpretari, quasi pulchra res fuerit: ut uidentem cæcus, et loripes recte incedentem derideat. Sed permittamus iam tibi Luthere, ut semper soles: in scripturis ludere: uerba Christi atque apostolorum adulterare: atque pro tua libidine omnia perperā interpretari: modo nos scripturis eisdē sacris caste (uti par est) utamur: imo agamus Luthere: quā-
I. Cor. 11. do ita cupis: ut pro uoto tuo intelligas: Ego accepi a domino

mino: quod et tradidi uobis: id est pręcepi tradi uobis: ut utrāq; speciē laicis dare: sit ex necessitate pręcepti. Quod si tibi hoc ita uideatur: erit profecto ex necessitate pręcepti, laicos etiā utranq; speciem accipere: quandoquidem sicut eodē pręcepto obligatę sunt gētes apostolos audire. Quo apostoli ipsi pręcepti sūt illis prædicare. Ita eodem haud dubie ac simili mandato deuincti sunt laici utrāq; speciem accipere. quo astringuntur sacerdotes utranq; speciem illis porrigere ac dare. Cum igitur nullo diuini præcepti uinculo, ut ipse Luthere asseris: astringuntur laici ulla specie uti. cum id affirmes: eorum relictum arbitrio: ita profecto nec ulla obligatione tenētur sacrifici utranq; illis speciem ministrare: sed libere eorum committitur uolūtati. siquidem pari nexu obligantur illi ad recipiendum: atq; hi ad donandum. Verum missas nunc faciamus bullatas istas Lutheri nugas: qui etiā in nugis tragœdias agere et potest: et solet: interim ut ī hac re serius agamus. Demus nūc Luthero: quod tantopere sitit. Diuinū præceptū esse utranq; speciem laicis dare: licet certe aliud non sit: quod poterit ipse e scripturis sacris minus probare: uti consequens oratio cito ꝓdet. tamen cur ceruicem erigens adeo contra Christi ecclesiam bulla infletur: insultetq;, quasi ecclesia catholica idonea ac cōgrua in ea parte explorata causa, pro suo iure, dispensare non queat? Nam omnium pene præceptorum, diuina institutione: hebręis olim arctius iniunctum, fuit citra contrauersiam una circumcisio: quando pręceptum sit: Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit: peribit anima eius de populo suo

Ciuilis admissio Lutheranę sententiæ.

reuulsio pemissę sententię.

Genes. 17.

ſuo: quia pactum meum irritum fecit. nec eo tamen mi=
nus ſynagoga in deſerto per quadraginta annos: Ita cir=
Ioſue. 5. cumciſionem de medio filiorum Iſrael tulerat: ut nullum
ex eis maſculum tot annis fuiſſe circūciſum ſcriptura ipſa
palam atteſtetur. Quare ſi cum pręcepto alioqui diuino
præſerm tam magno diſſpenſare potuerat: etiam ſyna=
goga: quanto magis, precor, cum præcepto Chriſti de
recipiendo ſanguine in ſpecie uini: ob cauſam ſatis pro=
batam ualeat diſſpenſare eccleſia catholica? Rurſus man=
Exodi. 24. dauit deus: ne filij Iſrael cum cananęis unq̄ coniugia ini=
rent. cū tn̄ in ipſo ſtatim initio poſſeſſiōis terrę Chanaan
hoc diuinū edictū ſic ſynagoga attēperauit: ut Thamar
Matthęi. 1. Chananęa per fœdera nuptiarū Salmon principi in tribu
Iuda uxor iūgeretur. Q2 ſi hoc facere potuerit ſynagoga,
ob cauſam neſcio quam perſuaſa: cur ob legittimā rationē
nō id agere queat eccleſia chatholica a ſpiritu ſancto edo=
cta? ut populus tantū una ſacramenti ſpecie utatur? etiā
ſi Chriſtus utranq; præceperat? pręſertim cum ſynagoga,
ut iam audiſtis: in longe maioribus dei pręceptis ſępenu=
memero diſſpenſauerit. Nam et in multo arduoribus mā=
datis, q̄ Lutherus in una re nobis opponit: eccleſiā olim
crebro diſſpenſaſſe ſcriptura teſtatur: niſi q; uir peſtifer:
magna agitat in re puſilla: culicem excolans: et deglutiēs
Camelū. Quid enim apoſtolis diſtrictius aliquando pręce=
cepit Chriſtus: q̄ baptiſmum ac formam eius, qui bapti=
zandi modum et formam illis tradens, ait? Ite: prædicate
euangelium omni creaturæ: baptizantes eos in nomine
patris, et filij, et ſpirituſſancti. Et tamen baptizandi mo=
dum

dum et formam, a Christo illis pręceptum, non seruabāt: sed baptizabant tantum in nomine Iesu Christi: nimirū ut nomen Iesu, quod tunc exosum habebatur: omnibus amabile redderet. Quo elucere facile queat: fas esse Christi ecclesię pro suo arbitrio, si utilitas inuitet: usum, modū, ac etiam ritum sacramentorum, pro rerum et temporum oportunitate, commutare: q̄uis ipsa sacramenta mutare non possit. Christus enim non tam in nocte, q̄ etiam cenatus celebrauit: ecclesia tamē, eo ritu, ac conficiendi modo relicto, non nisi in die ac ieiuno fieri rem sacram constituit. Communicare autem, sub duplice aut sub una specie, ad modum et ritum utendi sacramento pertinet. Quod si laici, in ipsa prima nascentis ecclesię infantia, sub utraque specie communicarunt: cuius, quod sciam: nusq̄ meminit scriptura: tamen ipsi patres, ut uiri perfecti, ac omnium uirtutum genere pręditi, q̄plurima obseruabant: quibus nos hodie haud quaq̄ mancipamur. Illis autem erant omnia cōmunia: nos uero propria habemus: nec deo in hoc reluctamur. illi, mādātibus ap̄lis, abstinere a suffocatis et sanguine: carnem cū sanguine non māducabant: cum nos interim sanguinem citra offensam inculpate comedimus. siquidem quod intrat per os: non coinquinat hominem. Sacerdotibus namque, pullulantis ecclesiæ, uxores fuere: quæ nobis meliore consilio negantur. Vnde uberior nimirum benefaciendi materia prestatur. illi populum a communione calicis forsan non prohibebant. nos autem contra magno ecclesiæ consensu cohibemus: cumulatius meritum accepturi: quo promptius ecclesiæ decreto stamus.

Actuum. 10.

Mutari potest ritus et modus sacramētorū.

Matthęi. 26

Actuum. 4.

Actuum. 15.

Matthęi. 15.

Hæc atq; alia non pauca his similia, quæ omnia recensere lectori tedio foret: tenellę nascentis ecclesiæ patres seruabant: quę tamen posteros nequaq̃ uinciunt: proinde non omnia, quæ in ipsius ecclesię pullulamine recepta ac facta fuere: trahenda sunt in consequentiam, usum, ac consuetudinem: quando pro rerum ac temporum uarietate etiã Christus ipse uaria simul et cõtraria præscripserat: uti cõsequens caput illustrabit. Ad hæc nullum diuinorum prę ceptorum obnoxius custodiendũ aliquando deus ipse districtius exegit: q̃ unũ pręceptũ de nõ poluendo sabbato:
Exodi. 20. de quo dñs ait: Memẽto: ut diẽ sabbati sanctifices. In hoc mãdato addens nõ temere, memẽto: id quod in nullo alio factum obseruamus: quin et diem illum agi solemnem tã seuere edixit: ut ligniculum in sabato colligens lapidibus impeteretur: adeo non uoluit uiolari sabbatum. Et tamẽ tam ingens ac sacrosanctum alioqui præceptum de sabbato, in quo honorabatur olim deus: ut mundi creator: ecclesia prorsus euacuauit in diẽ cõmutans dñicum, ut in eo Christus iam rediuiuus ex mortuis a suis pie ac digne, ueluti nouus mundi recreator, coleret. Et hoc profecto summe congruebat: ut in diuinę legis interpretatione simul et dispensatione, plus ualeret ecclesia uere catholica: quam spiritus sanctus instruxerat: q̃ uetus synagoga, quã Moses ille quondam erudierat. Verum fingamus: quando ita uis: ut hoc Christi sit præceptum: utranq; speciem sacramenti laicis etiam dari: quod tamen e sacris literis, quarũ tibi Luthere nimium curta suppellex est: explorare omnino non potes: uti postea latius, suo loco et tempore, aperiemus.

riemus. Tamen qua authoritate, modo causa inuitat idonea: dispensat ecclesia in præceptis dei tã sacrosanctis: eadem haud dubie authoritate ac iure instituere potest: ut laici sub una dumtaxat sacramenti specie communicent: Quod cur faciat ecclesia: causa nõ una et altera modo, uerum multiplex et uaria est. Primo quidem ad id non parũ mouet illud, Lucæ ultimo: ꝙ Christus accipiens panem benedixit: et fregit. cõmunicans pane duos in castello discipulos, et continuo euanuit ab oculis eorum: nulla data eis alia specie. quod autem Christus gessit: id nobis in exemplum fecit: ut sequamur uestigia eius. Deinde apostolorum edocet actus: Discipulos perseuerasse in fractione panis: nec usquã de altera specie illic commemorat. Et ad huius rei cumulandam fidem nihil nõ addit: quod Matthęi. 6. erudimur: panem petere supersubstantialem, hoc est eucharistiam corporis Christi: alterius speciei nec uno quidem facto uerbo. Ad hæc et in euangelijs Christus nõ semel aut bis, uerum sæpius, pro sacrosancti panis sumptione nonnulla policetur: pro uini autem specie ne tantillum quidem: pro illo autem dicit: Ego sum panis uitæ. Iterum. Panis, quem ego dabo: caro mea est: pro mundi uita. Et rursus. Ego sũ panis, de cælo descendens: si quis manducauerit ex hoc pane: uiuet in ęternum. et alia uerba id genus multa: quibus, pro huius panis sumptione, grãdia, utpote uitam ęternam, policetur. Pro altera uero specie ne unum quidem promissionis uerbum facit: quo omnibus apparere, ni fallar, duo euidenter possunt: nempe populum sub specie panis abunde communicare: et ad alteram

Matthęi. 6.

terã speciem neutiq̃ obligari. alioqui de uini specie nunq̃ tacuisset: uerum pro ea quantum pro altera promisisset. Quod si scriptura his non attestaretur: ecclesiæ authoritas, quę ita instituit: uel sola sufficere debuisset: id, quod in epistola fũdamenti aduersus manicheos Augustinus ait: Illud uere securũ est asserere: quod in gubernatione ecclesiæ dei saluatoris nostri uniuersalis ecclesię consentione roboratũ est. Nec patrocinat̃ Luthere tibi illud Ioannis. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis: et eius sanguinem biberitis: non habebitis uitam in uobis: Quando illius capitis ne minimam quidem portiunculam permittis de hoc sacramento intelligi. q̃q̃ et Christi sanguinem bibere is recte dici poterit: qui integrum Christum totum, sanguinem et carnem continentẽ, in hoc sacramento sũpserit. Non igitur mirari quis debet: si fidelem populũ sub una specie communicandum ecclesia instituerit: prętertim quãdo Christus hoc fecit: et quatenus uideri potest: euãgeliũ sic instruit. Tam et si ecclesia cur id fecerit: alia causa, et ea forte nõ leuis, fuit. Quod simplex scilicet christianus populus, qui ad imaginationes uarias ꝓpensior fluctuat: si sub utraq; specie communicaret: facile cogitare possit: hoc ideo fieri, ꝙ Christus sub una specie totus non contineatur: sed per partes diuideretur. Et iccirco, ut huiusmodi imaginationis errorem ecclesia simplicibus adimeret: et Christum totum sub una specie sacramẽti uere esse doceret: sacramentũ dare laicis sub una specie mandauit. Nam et simile quiddã ob reuerentiam libaminũ in uetere quoq; testamento olim agebatur: quoniam de sacrificijs, quę ex

Leuitici. 7.

aridis

aridis fiebant: laicus populus sæpe edebat. De libaminibus autem, quæ ex liquidis fuere: utpote uino et oleo, nō sic illis permittebatur. Proinde exilior ꝑfecto est hęc res: q̄ ut pro ea cum Christi ecclesia quispiam catholicorū digladiari deberet: nisi ꝙ Dauus perturbat omnia: neque absq; turbis sinens ferias agi.

LVTHERVS.

DEDIT mihi quondam, cum theologiam scholasticam haurirem: occasionem cogitandi dominus cardinalis cameracensis, libro. 4. sententiarum, acutissime disputans, multo probabilius esse: et minus superfluorum miraculorum poni: si in altari uerus panis, uerumq; uinū, non autem sola accidentia astruerentur: nisi ecclesia determinasset contrarium. Sed sciens ecclesia, quę esset: quę sic determinauit: stabiliui conscientiam meam, esse uidelicet ibi, uerum panem, uerumq; uinum: in quibus uera caro et uerus sanguis sit: nō aliter nec minus, q̄ ipsi sub suis accidentibus ponunt. Nec timeo romanum pontificem: nec uniuersa decreata eius, postquā romanus pontifex desijt esse episcopus: nec uolo eos audire: qui clamaturi sūt: hoc est vvic lefisticum, hussiticum, hæreticum, et contra determinationem ecclesiæ. Ruinā repe risse se putat.

POVELVS.

QVONIAM uero generalia ecclesiæ concilia usq; adeo paruifacit homo iste Lutherus: ut iam illa nullius prorsus authoritatis esse propalam contendat: in hoc nimirum vvic lefum pręceptorem secutus: qui id olim tanquā impietatis suæ fundamentum locauit: super quo

multorum errorum ſtruem erigere temptabat. Propterea ut tam uirulentā hæreticę prauitatis radicem ab imo funditus euellamus: ab ipſis primitiuę eccleſiæ initijs exordiamur: ubi generalia concilia integerrimum moderamen eccleſiæ catholicę ſemper fuiſſe, canonica ſcripturę ueritas ipſa clamabit. Nam naſcentem Chriſti eccleſiam in nulla unq̄ re, Romani imperatores magis lęſerunt: q̄ quādo celebrandorum conciliorum copiam chriſtianis interdixerunt. Ab eo quidem tempore primo cœperunt paſſim in eccleſia graſſari ſectę et hæreſes: Neſtoriani, Arriani, Sabelliani, Iacobitę, et nonnulli alij, quos recenſere perlongum fuerit. Ac quoniam facultas, celebrandi cōcilia, chriſtianis tunc adempta fuerat: nullus omnino ea tempeſtate extitit: qui tot hæreſum morbis mederi aliquando ualebat: ſed adeo in immenſum creuerunt: ut multo grauius inteſtinis erroribus, q̄ hoſtiū gladijs, eccleſia Chriſti ſauciaretur. Poſtea tamen q̄ Chriſti eccleſię ſub Conſtantino (deo id uolente) celebrandi cōcilia copia reddita fuit. mox, ſicut oleum ab emurca, argentum a ſcoria, et pannus a tinea: ita hæretica prauitas ab eccleſia Chriſti purgata eſt et deterſa. Et quia ſectas et hæreſes generalia concilia eminus proſcribūt: propterea Lutherus omnino illa deteſtatur: et odit. Apoſtolorum quippe temporibus quatuor generalia eccleſię concilia Hieroſolimis celebrata fuiſſe, actus apoſtolorum cōmanſtrant. Nam uacante ſede apoſtolatus Iudæ Scariothis, celebrauit Petrus Hieroſolimis concilium primum generale fere centum et uiginti fratrū: in quo elegerunt Mathiam in locum apoſtolatus: de quo

Prima cauſa hęreſum in eccleſia.

Pharmacū depurgans hęreſes.

Actuum. 1. Primū concilii primitiuę ecc̄liæ.

preuaricatus est Iudas: ut abiret in locum suum. Secundum concilium celebratum est Hierosolimam, propter sedationem schismatis græcorum aduersus hebreos: eo q̃ dispicerentur in ministerio quotidiano uiduæ eorum. In quo nimirũ facta est ecclesiæ secundum membra sua ordinatissima officiorum distributio: ut alij hospitalitati, et misericordiæ operibus, alij orationi et prædicationis officio sedulo deseruirent: uti illic scribitur: Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Nõ est æquum nos relinquere uerbum dei: et ministrare mensis: Cõsyderate ergo fratres ex uobis boni testimonij. septem plenos spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos autem oratiõi et ministerio uerbi instantes erimus. Quo exemplo perspicue lucet: nihil, quod ad communem christianorũ moderationem attinet: christianis imponendũ esse: nisi quod generale conciliũ prius sic fore palam diffiniuerit. Tertium concilium celebratum est Hierosolimam: propter compescendam hæresim subortam, circa legalium et circumcisionis obseruantiam, ut ibi surrexerunt quidam de herese phariseorum, qui crediderunt: dicentes: Oportere circũcidi eos: precipere quoq; seruare legem Mosi: et ideo conuenerunt apostoli et seniores audire de uerbo hoc: ubi in eo concilio, non solum circumcisionis, sed et totius legis Mosaice cessationem penitus determinauerant, Petro referente. Quid, inquit, tẽtatis ponere iugũ super ceruices discipulorum: quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus: sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari: quemadmodum

Conciliũ. 2.
Actuum. 6.
Conciliũ. 3.
Actuum. 15.
Actuum. 15.

dum et ipsi. In his ergo, quę uel ad fidem uel diuinæ legis interpretationem spectant: tãtam uim et potestatem obtinuit concilium illud tertium: ut q̃uis circumcisionis legem tã inuiolabili fœdere deus austere imposuerit: ut cõminatus sit; dicens: Masculus, cuius pręputij caro circũcisa nõ fuerit: peribit anima eius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. Tamen per generale ecclesię cõcilium legem illam interpretando sic euacuatã esse Petrus
Actuum. 15. palam ꝓnunciauit: ut confestim aperte diceret: Nos modo credimus saluari per gratiam domini nostri Iesu Christi: quemadmodum illi saluati sunt per circumcisionem et legem moysaicam. Vt neutiq̃ ambiguum sit: quin diuinã legem interpretandi, generali concilio, plena authoritas fuerit. Quartum autem concilium celebrauerunt Hiero-
Conciliũ. 4. solimam apostoli: Principes populorum tunc congregati
Psalmo. 46 cum deo Abraham: paulo anteq̃ ad prædicandum gentibus per orbem diuidebantur. In eo autem concilio, ut omnium fidelium una et indiuidua fides firmaretur: et non post eorum per orbem dispersionem noua fidei religio introduceretur: catholicam fidem paucis et apertissimis uerbis in unum summatim coegerunt: Simbolum, quod uocamus apostolicum: condentes: in quo iuxta numerum duodenarium apostolorum, etiam duodecim fidei articulos (spiritu sancto instruente) sunt breuiter cõplexi: unoquoqꝫ apostolorum suum articulum apponente: et ideo quemadmodum ista prima ecclesiæ concilia sunt, instrustore spiritu sancto, celebrata: ita, et eodem authore, cele-
Ioan. 14. brãtur posteriora. id quod Christus ait: Ego rogabo pa-

trem

trem: et aliquando dabit paracletum: ut maneat uobiscũ in ęternum. Eodem ergo doctore celebrantur concilia posteriora: quo celebrata sunt prima. Si uero in primis ecclesiæ concilijs spiritussanctus fuerat: non autem in posterioribus: iam uerum non est: quod de spiritu sancto Christus suæ ecclesiæ promisit: Vt maneat uobiscum in æternum. Si autem ibi manet in ęternum sacer ille spiritus ueritatis, tanquam perpetuus ecclesię custos et ędituus, ad omnem, uti promisit ueritatis, instructionẽ. Omnia profecto posteriora ecclesiæ concilia pari spiritus uigore et authoritate celebrantur. Cũ igitur in sacramento altaris uerum esse corpus Christi, sine substantia panis, ecclesia determinauit catholica: deberet profecto Lutherus id humiliter credere: et non superciliose spiritu sancto resistere. Contrahat ergo carbasa homo pertinax: plenus uelis in sirtes nauigãs: incassum enim aduersus flumen nauigatur: et contra uentum frustra uela tenduntur: siquidem non contra hominem, sed in hac re contra deum pugnatur. Ioan. 14.

Sed quęri hic frugi potest: cur Christi ecclesia uocatur catholica: id est uniuersalis. Nempe huic triplex accedit ratio. Primo, ꝙ solum Christi ecclesia, prædicantibus apostolis, per totum orbem ubiq; est diffusa: sicut scriptũ est. In omnem terram exiuit sonus eorũ: et in fines orbis terrę uerba eorum. Et ideo synagoga infra unius gentis hebręorum angustias conclusa, nunq̃ catholica, id est uniuersalis: dici potuit. Deinde uniuersalis appellatur: ꝙ omnis salutiferę instructiõis ueritatem contineat: sicut scriptum est. Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo: Ecclesia cur dicitur catholica. Psalmo. 18. Ioãnis. 14.

ipse uos docebit omnem ueritatem. Postremo uniuersalis dicitur: quia uniuersalem morborum animę comprehendit medicinam: quandoquidem omnis spiritualis langor in duas partes distribuitur: in culpam et pœnam. ac pro utraq; Christus hominibus per sacramenta remedium copiosum in ecclesia adhibuit. ita enim scriptũ est. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: sicuti mox postea, cælesti numine opitulante, citra cuius opem nihil ex sentẽtia procedit: uberius explicabitur. Nec in faciem mihi retundat amicus noster Lutherus: sæpenumero solere decreta, prioribus concilijs ędita, posterioribus prorsus derogari et tolli: eorumq; loco longe contraria induci. quoniã contrarijs siquidem nascentibus morbis, contrarię, necesse est: parentur medelæ. Sapientem enim rei publicæ administratorem perinde se habeat oportet: atq; uirilis manus, quę tam et si una eademq; constanter maneat: tamen contrarios, pro rerũ et temporum conditione, actus exercet: nunc in pugnũ cõstricta, nunc in palmam dilatata. Nam tam et si ea, quę ad fidem uel eius articulos spectant: sine ulla quidem uarietate semper subsistunt solida et firma: In publica tamen Christi ecclesiæ administranda utilitate, pro temporum contrarietate, contraria condenda esse decreta, si nos taceremus: tamen id faciundum esse, ipsa euangelica ueritas doceret. Nam, Lucę. 9. discipulos mandauit Christus: dicens: Nihil tuleritis in uia neq; uirgam neq; perã. Postea tñ, passionis suæ tempore, Lucæ. 22. longe aliud imperauit: inquiens: Qui habet sacculũ: tollat similiter et perã: et qui

Ratio, cur priora concilia posteriori oribus tolluntur.

Christus cõtraria tulit decreta. Lucæ. 9.

Lucę. 22.

et qui non habet: uendat tunicam: et emat gladiũ. Grandi porro ista inter se dimicant certamine: non feras uirgã: et emas gladium; non portes peram: et qui habes sacculum: tollas similiter et peram. Rursus Christus etiam et si docuerit: Quod intrat per os: nõ coinquinat hominem: apostoli tamen gentibus pręcipiebant: ut à suffocatis et sanguine abstinerent: quasi sanguinis et suffocatorũ esus hominem contaminarent. Iterum cum Manichęorũ, qui Christum non uerum sed fantasticum habere corpus contendebant: hæresis grauiter inualesceret: et ipsi, ut errorẽ suum pietatis fuco colorarẽt: sub sola specie panis cõmunicarent: eo occulte innuentes corpus Christi fantasticũ et sine sanguine esse. Leo sane pontifex summus tanto malo mox occurrẽs, statuit christianum populum sub utraq; specie communicare. In hoc Christianos palam docens, Christum nõ fantastico, sed ex carne et sanguine uero esse corpore præditum. Vbi uero Manichęorum semel euulsa est hæresis: ad ueterem ilico sub una specie communicandi consuetudinem nouo decreto ecclesiæ reuersa est: ut ex his scripturis pręterire iam ualeat neminem: q̃ quis diuersis temporibus diuersa et nonnunq̃ contraria conduntur decreta: tamen non contrarius finis: sed una Christi fides studiose alitur, et nutritur: una publica ecclesiæ utilitas, semper quæritur: pro una christianorum pace et salute cõtinuo laboratur. Proinde supersedere omnino iam debeat stultissima illa Lutheri contra concilia decertatio: quando Christus pro temporũ contrarietate contraria decreta tulerit: et apostoli pro tempore decreuerunt: quod postea a

Decretũ papæ Leonis pro tẽpore.

christianis ipsi obseruari maluerũt. Suboritur etiam quæstio: cur Nicenum concilium ecclesiam Christi uocat apostolicam: non autem patriarchicam aut propheticam: cũ patriarchæ et prophetæ haud dubie prima ecclesię fundamina fuere? Nempe hoc ob id dicitur: ꝙ apostoli omnibus antiquis patribus uirtute et miraculis excellentius claruerunt: in credendis et agendis apertius docuerũt: in lucrandis animis plus sudauerunt: ac prostremo Christi ecclesiam, ubiqꝫ in toto orbe, longius latiusqꝫ delatauerunt. et q̃uis patriarcharum et prophetarum filij extitere: tamen patribus suis gloria et honore longe præluxere: sicut in psalmo scriptum est. Pro patribus tuis nati tibi sũt filij: constitues eos principes super omnem terram. et ideo ecclesia Christi a suis delatatoribus iuste nomen accepit: ut nõ patriarchica aut prophetica, sed apostolica uocaretur. Hæc est ergo illa catholica ecclesia: quæ Romanum pontificem, Petri successorem, pro capite in terris habens: cũctorum morborum animæ continet sanitatem: et omniũ salubriter docendorum complectitur ueritatem. et propterea sicut sanus euadere non potest: qui in animę suę langore ab eo salutem nõ quærit: ita saluus esse nequeat: qui eius præceptis humiliter non obedit. Cum ergo catholica et apostolica ecclesia Christi pro firma et rata ueritate conclusit: in sacramento altaris esse uerum corpus et sanguinem Christi sine ulla substantia panis et uini: remanẽtibus dumtaxat accidentibus: nõ deberet Lulherus achademicos, qui cuncta in dubium reuocant: iam sequi: sed captiuare intellectum suum in obsequium Christi: si saluus esse

Quare ecclesia uocatur ap̃lica.

Psal. 40.

Extra ecclesiam non est aĩe sanitas.

uus esse uelit: et ecclesiæ matri suæ obtemperanter parere: ne de eo uerũ habeatur: quod scriptura dicit: Stultus despicit matrem suã. Nam ꝙ deus tot stupenda tantaꝗ miracula, in hoc uno sanctissimo sacramento altaris facere uoluerit: ut credendi difficultatem nobis cumularet. hoc profecto ad nostrũ meritum diuina miseratione factum non ambigimus: sicut pręceptor noster Christus ait: Beati, qui non uiderunt: et crediderunt: ut quanto difficiliora, instruente Christo, et docente ecclesia, humili fide tenemus: tanto ob id in cælo sublimiora nos pręmia posthac expectẽt maneãtꝗ. Itaꝗ q̃q̃ placuerit Christo corpꝰ suum in eucharistia tot ac tantis deniꝗ mirabilibus nobilitare: ut uel eo ad meriti ac salutis cumulum fidem nostrã probaret exerceretque: Luthero tamen non placuit: quia stabiliui, inquit, conscientiam meam: uidelicet esse in sacramento altaris non solum uerum corpus, et uerum sanguinem Christi, sed etiam uerum panem et uerum uinũ. Sed in quo, quæso, Luthere stabiliuisti conscientiam tuã in petra uel in arena? Porro si ad scripturam sacram, atque ad uerba Christi, tanq̃ admussim conscientiam tuam quadrasti: uti ipse Traso gloriose iactitas: quare, obsecro, ipse ais: Permitto: qui uolet contrariam opinionem tenere: cum contra scripturam sacram, aut uerba Christi tenere quicq̃, nullo Christiano permittitur: quin si citra periculũ libere: utrũꝗ credi possit: ut ipse ais. Cur ergo more Catelinę, in ea re hussitissime certas? et alios in hoc etiam ad certamen ꝓuocas: nisi ut in Christi ecclesia discordiã semines, et schismatis materiã his, qui pacẽ oderũt: ministres?

Prouer. 15.

Ioan. 22.

imo cum hic prętendis, ex uerbis Chrifti euangeliftarum et Pauli, te fatis abunde probare: quo nihil facis minus: in facramento altaris effe uerum panem et uerum uinum: quare, cum te ipfo mox turpiter pugnans, affeueras liberum effe cuilibet alterutrum imaginari, opinari, et credere? quando contra uerba Chrifti euangeliftarum et Pauli nunq̃ licuit aliud fentire. Cernitis ergo hunc Plutonis militem, a nullo magis q̃ a fe ipfo expugnari et obrui: et tamen nufquã non ftudet in Chrifti ecclefia noua fchifmata fufcitare: Quod Paulus ufq; adeo deteftatur exhorretq;: ut ad Corinthios fcriberet: Obfecro uos fratres per nomẽ domini noftri Iefu Chrifti: ut id ipfum dicatis omnes: et non fint in uobis fchifmata. Sitis autem perfecti in eodẽ fenfu et in eadem fcientia. Vbi ueluti apoftolicus fermo haud clam indicat: precando, adiurando, a triplice fchifmatis genere chriftianum populum obnixe feduloq; uocat. Nempe a uerborum defidio in ore: ibi, ut id ipfum dicatis omnes. At tu Luthere id ipfum adeo non dicis: ut in uerbis nõ tam cum eruditiffimis quibufq; præceptoribus, q̃ etiam cum te ipfo ubilibet ferme pugnes. Deinde a rerũ difcordia uocat in actiõe: ibi, ut fitis perfecti in eodẽ fenfu. Tu uero Luthere ita omnia in difcordijs et lite uerfas: ut difputando mordicus nõ aduerfus celeberrimos modo ac cantatiffimos doctores: uerum cõtra apoftolum et euãgelium fenfeas: uti os tuum poftea te damnabit. Poftremo quidem uocat apoftolus a fchifmate in mentis contẽplatione: ibi, ut fitis perfecti in eadẽ fcientia. At tua quidem mens Luthere et cum canonica ueritate, fimul et cum

Lutherus Lutherum oppugnat.

fe ipfa

se ipsa tantopere dissidet: ut haud equidem sciam: an hostilius pugnare ulla possunt: ceu uerba deinceps tua cito prodent: adeo extat nullum schismatis genus: quo te nō assidue exerces: paulina admonitione prorsus floccifacta: et ob id ais stabiliui conscientiam meam esse in sacramēto altaris uerum panem et uerum uinum: conclamantibus pleno ore aduersus te: non tam ecclesiæ cōciliis q̄ doctoribus Græcis una et Latinis. Sed dicis, non formido Romanum pontificem: nec uniuersa decreta eius: postq̄ Romanus pontifex desijt esse episcopus. O hominem plusq̄ audacem: si temporales non formidas faces: uel uereri deberes ęternas: mane cogitās: ut uulgo iactatur: uesper serus quid secum ferat. Nec certe ideo desijt Romanus pontifex esse episcopus: quia tu desijsti esse catholicus: et euasisti hæreticus. Sed nec audiam, inquis, qui clamaturi sūt: hoc est vvicleftisticum, hussiticum, hæreticum, et contra determinationem ecclesiæ. Ecce aspis surda obturans aures suas. Nam nihil probitatis aut uirtuis habens Lutherus, unde apud posteros testari possit se aliquādo uixisse: eius emulatus ingenium, qui ad comparandam sibi famā, olim in orbe nominatissimum Dianæ templum incendit. vviclefanos atq; hussitanos errores docendi una et ꝓpugnandi prouinciam audacter suscepit: ut eo demum pacto Lutherum quandoq; uitam apud christianos degisse, hęreticam posteritas ipsa agnoscat. et ob id malę famę cupidus, indurato animo ait: Non audiam: qui clamaturi sūt: hoc est vvicleftisticum, hussiticum, hęreticum, et cōtra determinationem ecclesię: quo appareat frōtem sibi esse impudentissimā

Audacia insana Lutheri.

pudentissimam mentem eius incude duriorem. Moyses e-
Psalmo. 57. nim in monte cum deo locutus facie ad faciem: quemad-
Exodi. 33. modum amicus solet cum amico suo loqui: de monte de-
scendens consilium Ietro sacerdotis Madian humiliter au
Exodi. 18. diuit. Lutherus uero, nescio unde ueniens: scio equidem
non a deo: non sacerdotis Madian, sed summi sacerdotis
Christi consilium ne audiat: ultro sibi aures occlusit. Mo-
ses de monte descendens, consilio unius Ietro libenter pa-
ruit: Lutherus autem, tanq̃ Cerberus ad latratum geni-
tus, os suum in cælum ponens, uniuersę ecclesiæ concilia
apertis faucibus contempnit. Moses de monte descendẽs
concilium Ietro tanq̃ legem in posteros celebrandam in-
stituit: Lutherus uero leges antiquissimas ab ecclesia ca-
tholica fruge sanccitas cũ fastu et superbia spernit: ut cu-
ius sit ipse Christi seu Sathanę sacerdos: quiuis modo li-
bere sententiam ferat. Proinde compescat Lutherus id ge-
nus sermonem, supremę malitiæ suæ indicem: et consiliũ
demum in melius referat: cum in hac re non contra Ro-
manum pontificem, sed contra Christum impie certamẽ
geritur.

CVIVSDAM LVTHERANI ERRO-ris, cui, ueluti solido fundamento innititur, consummata cõuulsio.

NEC IN HOC quidem loco omitti modo debet: quod Lutherus, ad suos fulciendos errores pro prin

cipio

cipio iecit firmissimo: Videlicet nõ teneri christianũ homi nẽ aliquid credere: neq; ad quicq̃ agendũ mãcipari: quod ex scriptura canonica nõ possit euidenter cõprobari. quod profecto iste fraudis artifex e feculenta vvyclefi lacuna sufs ratus est: quia aliter q̃ vvyclefistice et hussitice Lutherana dogmata nõ olent. Proinde ad rem nostrã hoc iã proxime attinet: ut hunc errorẽ, qui nõ paucorũ fons fuit et origo malorũ: iã in primis eliminemus: atq; nuda claraq; scripturarũ ꝓbatione solidemus. Multa pro ueris pariter et autẽticis credẽda esse: quę nec ĩ scriptura sacra habent̃: nec elici etiã ex ea ullo pacto ualeãt. Atq; primo quoq; a ueteri testamento hanc rem aperiendi sumamus initium. Nam numeri. 21. recensetur liber bellorũ domini: atq; secundus quoq; liber regum: allegat librum iustorum: quos nõ haberi in biblia perspicuum est. Deinde liber secundus Paralipomenon meminit de libro Achiæ solonitis. Similiter et de libro Nathan prophetæ: quos nusquã in scriptura sacra iam compertos esse uetusti instrumenti series satis declarat. Postremo secũdus liber Machabeorum de descriptionibus Hieremiæ prophetę pariter et de cõmentis Nemię haud quaq̃ tacuit: quos libros in canonæ scripturæ neutiq̃ posse offẽdi, ipse biblicus ordo ostendit: iccirco ex ueteri testamento cuiuis, nisi cęco, possit clarere: non pauca credendorũ loco cõstanter habita, quę e scripturis canonicis nusq̃ explorant̃: id quod e nouo testamento aperire in promptu est. Nam ad Colocenses ultimo fatetur apostolus Paulus se scripsisse epistolam ad Ladaicium: præcipiens Colocensibus eam legere. Et tamen huiusmodi e-

2. regũ. 1.

Colo. ulti.

pistolam in scripturis sacris nusquā esse repertam, nemo est: qui non nouit. Vnde et Augustinus, septimo de trinitate, sciscitatus: quare tres res in diuinis dicūtur tres personę, et non tres dij. Respondet: ꝙ propter necessitatem disputandi, dicuntur tres personę: non quia scriptura hoc dicit: sed quia scriptura non contradicit: quemadmodum de tribus dijs scriptura palam contradicit: Ait enim: Audi Israel: quoniam dominus deus tuus, deus unus est: ut iam non possit nō manifestum esse e codicibus sacris, Augustinum nunq̄ potuisse probare, deū esse tres personas: et tamen hoc ecclesia credit. Compello te etiam Luthere: ubi e scripturis, citra id quod quispiam calumniari possit: comprobaueris deum patrem esse ingenitum: filiū omosion, hoc est: patri consubstantialem: aut certe proteruire accincto persuadere ualueris: spiritum sanctum a patre et filio prodire: nec eo minus ista, si Arrianus non fueris: credis. Rursus scripturarum canones nequaq̄ ullibi monstrant. Istud euangelium liber generationis Iesu Christi, uel euangelium, In principio erat uerbum, esse alterum Matthæi, alterum Ioānis: nisi præcedentibus titulis, qui non sunt de canone: sed ab hominibus appositi. Quod etiam quatuor euangelia sunt quatuor euangelistarū, uidelicet Matthęi, Marci, Lucæ, et Ioannis: ex nullo scripturæ canone inclarescit: nisi ꝙ ecclesia pro eorum eangelijs illa sēper celebrauit: et ideo ait Augustinus: Non crederem euangelio: nisi ecclesiæ authoritas me admoneret. Ex quo quilibet, nisi perfidus fuerit: facile intelligit: quātū ecclesię tribuēdū sit: quę etiā euāgelio authoritatē ꝓbuerit.

Deutro. 6.

Accedit

Accedit et huic: ꝙ ſimbolū, quod nos appellamus apoſto
licū: eccleſia credit ab apl'is eſſe cōditū: quod etiā, in ſuis
codicellis, Lutherus credit. Et tñ illud apl'icū extare ex nul
la ſcriptura canõica poterit eſſe perſuaſū: ſed a uiris ortho=
doxis ideo credit: quia ab eccleſia catholica ſic illis tradit:
ut iam ex nouo pariter et ueteri teſtamẽto, citra ullā tergi=
uerſādi fiduciā, clare audiſtis: plurima a chriſtianis credē=
da una et agẽda eſſe: quę ex fõte canonicæ ſcripturę nullo
modo ſcaturiunt. Audiamus et in hac re etiā Chriſtū: qui Ioan. 16.
ante paſſionem ſuam diſcipulis ſuis ait: Multa alia habeo
uobis dicere; quę non poteſtis portare modo: ſed ſpiritus
ſanctus, quem mittet pater in nomine meo: ipſe uos do= Ioãnis. 14.
cebit omnia. Multa ergo ad ſalutem ſpectantia ſunt: per
ſpiritum ſanctū apoſtolis reuelata: et per eos ad nos uſqꝫ
deriuata: quæ in diuinis literis non ſunt ſcripta. Quan=
doquidem ea, quæ uel credenda uel agenda ſpiritus ſan=
ctus in mundo docuit: nõ mortuis pecudum membranis,
ſed uiuis diſcipulorū cordibus ipſe indidit. Rurſus et Pau=
lus, ad Theſſalonicenſes ſcribens, ait: Itaqꝫ fratres ſtate et 2. Theſſal. 2.
tenete traditiones meas: quas didiciſtis ſiue per ſermonē
ſiue per epiſtolam. Pleraqꝫ ergo chriſtianis officioſe agen=
da apoſtolus imperat: quæ nequaq̄ ſcriptis, ſed ſolo ſer=
mone illis tradidit. Et ut tibi Luthere deinceps nullus ela=
bendi angulus pateat: anguis es enim lubricus: ſi nil cre=
dendum fuerit: quod patentes clarę non enunciant ſcrip=
turæ: Non eſt plane: cur te credis a peccatis abſolutum:
nec certe unda baptiſmi regeneratum: quandoquidem e
ſcripturis iſta neutiq̄ clarent: et tamen te abſolutū et bap=

 tizatum

tizatum constanter nisi credideris: ut etiam ipse dogmatisas: frustra sane te saluandum confidis. Supersunt ergo aliqua tibi ad salutem credenda: quæ codices sacri nusquã pandunt. Resipisce ergo mi frater Luthere: ab his dogmatum impietatibus, quæ et tuæ et aliorum adeo obsunt saluti. presertim cum nemo, uti reor: tam impudens fuerit: nisi frõte careat: qui inficiari aut possit aut uelit: multa precepta diuina pariter et apostolica a Christianis seruanda quorum nunquam meminerint scripturarum canones: id quod non obscure declarant: obseruatio diei dominicę exploso iudæorum sabbato, quadragesimalis ieiunij custodia, mixtio aquę cum uino in calice, adoratio imaginum, cultus ecclesiæ ad orientem, et id genus alia multa, quę nõ e scripturis, uerum ex arcano Christi spiritus afflatu, et apostolorum, ac primorum patrum traditione, agenda esse ecclesia credit. Tantum ergo abest: ut quod iam moliris: solide statuas Luthere: ut scripturarum aut rationũ, quibus id firmes: ne tantillũ quidem possis afferre: licet tuas in hac re, ut sopistissimus es: nobis nitaris obtrudere sycophantias.

LVTHERVS.

Plusq̃ stultitiam uocat rationem magnam.

EST AVTEM meæ sententiæ ratio magna: in primis illa, ꝙ uerbis diuinis non est ulla facienda uis, neq; per hominem neq; per angelum: sed quantum fieri potest: in simplicissima significatiõe seruãda sunt: et nisi manifesta circumstantia cogat: extra grammaticam et propriam accipienda non sunt. Et ideo cum euangelistę scribunt Christum accepisse panem et benedixisse: et actuũ

liber,

liber, et Paulus apoſtolus panẽ deinceps appellent: opor tet intelligere uerum panem uerumq́ꝫ uinum. &c.

POVELVS.

SED HIC modo liceat, quæſo, cum ludente Luthero tantillum ludere: et cum nugante paululum nugari. Christus enim mandauit: dicens: Si quis percuſſerit te in unam maxillam: præbe ei et alteram. Iſta ſi non aliter, q̃ in ſimpliciſſima ſignificatione intelligenda ſunt: cur Luthere quempiam, qui te leui calamo punxerit: multo grauius, q̃ ictus es: feris? cum fœnore retalians iniuriam? et exuto theologo, ac uafrum induens, paululum conuitiantem diris uerborum probris atrociter tranſuerberas? et nõ potius, ut Chriſti uerba grammatice admonent: id æquo animo feras: ac te quoq́ꝫ denuo cædendum patienter præbeas? potius q̃ leuiter mordentem, remordere truculẽtius: et modice pũgenti, genuinũ infigere. Rurſus cũ Chriſtus rigido obſtrinxit c̃rianos præcepto: Si manus tua dextera ſcandalizat te: abſcide eam et proijce abs te. Lutherus autem manum ſuam dexteram, quæ tot hæreſes ſcripſerit: tot per chriſtianũ orbem offẽdicula ſuſcitauerit: tot errorum uirulentias potãdas catholicis porrexerit: cur ſibi nõ diſſecuit: atq́ꝫ diſſectam quoq́ꝫ eminus a ſe abiecit? Quod mandante Chriſto utiq́ꝫ ſibi omnino faciendũ fuit: ſi omnia in ſcripturis ſic accipienda ſunt: ut prima uerborũ facies et grammaticalis uultus præ ſe ferũt: imo et cũ Chriſtus imperitat: Si quis angariauerit te mille paſſus: uade cum illo et alia duo. Quare cum iamdudum Lutherũ quiſpiam Romam adigere uoluerit: ut ſuarum ueritatem opi-

Matthæi. 5.

Lucæ. 6.

Faceta Lutheri eluſio.

Matthæi. 5.

nionum ibi ęgregie ac pulchre probaret: quare cũ eo Romam non accesserit? quia dogmatizãte Luthero, neq; per hominem neq; per angelum, est his uerbis ulla uis facienda: sed tãtum simplice ac grammaticali sensu intelligenda: cur ergo cędenti unam maxillam, ipse alteram feriendam non obtulit? cur toties ingenue rogatus, ut Romam commearet: ire inciuiliter contempsit? quãdo ob uerba Christi simplice intellecta sensu, utrunq; sibi implendum erat: si reus diuinorum præceptorum ipse uideri noluisset. Sed hæc serio iocantes missa facimus: quando neutri præceptorum Christi parere uoluit Lutherus. Cæterum scripturam sacram diuinaq; uerba nõ secus, q̃ in simplissimo sensu oportere grammatice intelligi, Fausto et vvicleso præceptoribus iniquis, Lutherus ipse discipulus iniquior didicit. Faustus enim, ut Augustinus refert: ea opinione, ueluti peste quadam corruptus, legens in euangelio dixisse Christum: Omnes quotquot uenerunt: fures sunt et latrones: simplicem uerborum sensum grammatice secutus: actutum conclusit: Moysen prophetasq; fures fuisse atq; latrones. Rursus quidem et alij non pauci, quemadmodum grammatice intellexerunt: Non furaberis. ęque etiam intelligebant: Non occides. ut sicut sit nephas furari ouem uel bouem: ita et necare ouem uel bouem: sicut et hominem. quandoquidem utrũq; indiscriminatim pręcipitur: Nõ occides: sicut, Nõ furaberis. Nec in ea re eos aliud fefellit: nisi quod ad simplicem uerborum sensum, q̃ ad sanam scripturę intelligentiam, magis oculos uerterũt: unde diuina præcepta nonnunq̃ secus esse intelligenda, q̃ ipsa

Ioan. 10.

Exodi. 32.

ipsa prima uerborum facies promittit. Christus in euangelio nos sæpenumero erudiuit. Nam diuinitus olim iussum fuerat: ne quis nisi sacerdos propositionis panes ederet: et ne quãdo in sabbato quis sibi escam pararet: et pleraq; id genus alia. Et tamẽ ꝙ panes propositionis Dauid licite comederat. et apostoli spicas fricando citra uiolati sabbati piaculum, in sabbato escas pararant: contra simplicem uerborũ sensum Christus aperte declarabat. Rursus Christus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto: non potest introire in regnum dei. et tamen credendum est: uere eos regno dei potitos, qui nunq̃ baptizati, pro Christo sanguinem suum fuderunt: uel alio sunt modo pro eo necati: quando multo pręstat pro Christo sanguinem fundere: q̃ pro eo aquam suscipere: uitam pro eo dare: q̃ pro eo aqua lauari. Nec tamen dicit scriptura: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, uel sanguine uice aquæ, uel aliquid huiusmodi; sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto: non potest introire in regnum dei. Ergo iam tam apertum est: ut non sit: qui oculis linceis egeat: quo cernat: quin diuina præcepta percrebro aliam efflagitant interpretationem: quam uel grammatica docet: uel certe primo uultu ipsa uerba portendunt. Quod ego ob nullam aliam modo causam dixi: nisi ut detectis Lutheri mendacijs, perspicue intelligatur in diuinis literis ad salutarẽ consummatũq; scripturę sensũ: q̃ ad nudũ uerborum sonum, magis esse attendendum. Respõdeamus ergo tãdem Luthero: Christum accepisse in manibus uerum panem ac benedixisse: benedicendoq; panem in uerum

Leuitici.24

Exodi.20.

Matthęi.20

Lucæ.6.

Ioan.3.

Ioan.3.

Respondet Luthero.

rum corpus suum transsubstantiasse, relictis tantum pa-
Matthęi. 26 nis accidentibus: et tūc dixisset: Non hic est corpus meū: quod utiq; dixisset: si ibi mansisset substantia panis: Sed dixit: ut Matthæus, Lucas, et Marcus referunt: hoc est corpus meum: quod pro uobis datur. Per articulum hoc uerum corpus suum sub accidentibus, quod ante per benedictionem consecratum fuerat: demonstrans: quemadmodum docet Innocentius papa de officio missę. Si uero quisquam alter a Christo sacerdos consecret: tunc ista uerba dicuntur ab eo: ut uerba Christi materialiter ac recitatiue. Et iccirco opus non est: ut per articulum hoc, demonstretur aliquod præsens. quemadmodum si diceretur: quod Adam dixit: Hoc os de ossibus meis. nō exigitur: ut quicq̃ præsens ostendatur: sed sufficit aliquando per ipsum Adam fuisse monstratum. Ex quo non potest non elucere: q̃ impie extorsit Lutherus uerba Christi dicentis: Hoc est corpus meum: id est, inquit, hic panis est corpus meum: bene scilicet obseruans normam, quam de non extorquendis diuinis uerbis ipse iā paulo ante admonuit. Sed hic forte certabit Lutherus: ut uir est rebellis et in cunctis pugnacissimus: ac dicet: Si Christus benedicendo panem consecrauit: cæteri autē sacerdotes non benedicendo sed dicendo, hoc est corpus meum: consecrant: non quidem eundem consecrandi modum, sed alium q̃ Christus habuit: obseruant. Verum huic uiro semper dimicaculo paucis respondeamus. Quod quemadmodum Christus, qui fecit cælos in intellectu dicendo: non dictione uocali, sed mentali: cuncta ex nihilo creauerat: quia

Genes. 2.

Cōfutatio.

Obiectio. Lutheri.

Responsio

ipse

ipse dixit: et facta sunt: ipse mandauit: et creata sunt uni= Psal.148.
uersa. Imo et sicut in Chana Galileę Christus aquam mu Ioan.2.
tauit in uinum, non uerbo uocali sed mentali: quia quæ= Psal.113.
cunq; uoluit dominus: fecit. Ita Christus panem benedi= cendo non benedictione uocali sed mentali, in corpus suũ transmutauit: et subinde adijciens: Hoc est corpus meũ, uerbis illis consecrandi panem in corpus suum, uirtutem tribuit: ut Christus mentis imperio primo consecrans, ser uos suos sacerdotes doceret: quibus uerbis ipsi postea pa nem in corpus suum cõsecrarent. Quod autem Lutherus subdit: actuum liber et apostolus Paulus uocant corpus Christi panem: ergo est uerus panis: mucrone suo ipse ui Ioãnis. 1.
cissim refodiatur. Ioãnes Baptista Christum uocat agnũ: his uerbis: Ecce agnus dei. Et Paulus Christum appellat I.Cor.10.
petram: Petra autem erat Christus. Ergo Christus erat uerus agnus, uerum pecus, et uerus lapis. Iterum Mala= chię.2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam: et legem re= quirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Ergo sacerdos est uerus angelus. Adeo enim sunt sicho= phantica Luthere sophismata tua: ut in nullum magis q̃ in te ipsum retorqueantur. Quod igitur Paulus Corpus Malachie.2
Christi uocat panem: hoc non est propter remanentem substantiam panis: sed ob precedentem panem, et relictas panis species. Nec est ista recens nominum impositio, aut noua uerborum significatio: sicuti mentitur Lutherus: pa nem pro specie uel accidentibus panis: uinum pro specie uel accidentibus uini accipi: cum huiusmodi loquendi ge nus sit in diuinis literis adeo crebrum et frequens: ut illic

propemodum nusq̃ non scateat: ubi non semper a termino ad quem, ut nostro more loquamur: sed nõnunq̃ a termino a quo facta est transmutatio: res suam appellationem habeat. Scriptura enim, ad hominem loquens, ait:
Eccles. 10. Quid superbis terra et cinis. Et alibi dicit: Virga Aaron deuorauit uirgas magorum: serpentes nominans uirgas:
Exodi. 7. sicut hominem uocabat terram. Et rursus in euangelio: Gustauit architriclinus aquam uinum factum: uocans aquam uinum: et ita de alijs id genus multis. Cum tamen homo non sit terra: de qua est factus: nec serpens uirga: de qua est conuersus: nec uinũ aqua: e qua est mutatum. Itaq; quamuis panis mutetur in uerum corpus Christi: tamen, more scripturæ, corpus Christi panis uocatur: licet panis materialis non sit: sicut nec homo est terra: nec serpens uirga: nec aqua uinũ. Deinde, ut impostura Lutheri lucidius inclarescat: scriptura appellat res nominib⁹
Genes. 18. eorum: in quorum similitudine apparent. Nam liber geneseos commemorat patriarcham Abraham uidesse tres uiros, et unum adorasse: cum tamen non tres uiri, sed tres angeli in forma uirorũ fuere. Similiter Loth in Sodomis duos uiros apparuisse pentateucus non siluit: et tamẽ eos non duos uiros, sed duos angelos in similitudine hominũ extitisse nequaq̃ non constat. Proinde cum in sacramento altaris, restat species et simitudo panis: corpus Christi uocatur utiq; panis: tametsit panis materialis nõ sit. Postremo scriptura sacra interdum res uocat nominibus eorum: quorum propietates sequuntur: quemadmodũ Christus uocatur agnus propter mansuetudinem, leo propter fortitudinem

titudinem, petra ob constantiam. Quocirca cum in sacramento altaris remanet tactus, gustus, color, odor, et sapor, qui sunt proprietates panis: ob id, pro scripturæ cõsuetudine, corpus Christi uocatur panis: etsi nullo pacto sit illic substantia panis. Non est ergo, ut nugator iste gãnit: noua uerborum impositio: panem pro specie uel accidentibus panis accipi: præsertim cum id genus loquendi passim in scripturis suam uenam habeat. quod uero ait Lutherus, sanctos patres iam per mille ducentos annos recte credidisse: nec unq̃ de tali transsubstantiatione meminisse: nisi in his trecentis annis nouissimis: hoc sane e suo capite finxit, mendacijs omnia farciens. Nam mutationem substantiæ panis in corpus Christi, antiquissimos doctores olim credidisse pariter et docuisse: sua nobis relicta opera produnt. Sed quid multorum doctorum hic repetitione cuntabor? quando in hac re unus martyr Ciprianus nobis possit copiose sufficere. Nam si, ut Lutherus asserit: satis est ualens Ciprianus: ut omnes premat Romanistas: erit profecto et ęque potens: ut cunctos euincat vvicleflistas. Ipse enim est: qui in sermone de cœna domini, de sacramento altaris locutus, ait: Immortalitatis alimonia datur, a communibus cibis differens: sed temporalis substantiæ speciem retinens: ut illis uerbis in sacramento altaris, non substantiam panis, sed solum speciem panis remanere christiãos doceret: quod paulo post enucleatius euiscerat: dicens: Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus, procurat uitam: quia panis iste, inquit, quem dominus discipulis porrigebat: non ef-

m 2 figie,

figie, ſed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus eſt caro. Q̃ ſi, teſte Cipriano, panis in ſacramento natura mutatus: et manente effigie factus eſt caro: cur, precor, noſter Cerberus latrat: tranſmutationem panis in corpus Chriſti, nunq̃ a ſãctis patribus creditã, niſi in his trecẽtis annis nouiſſimis? quando Ciprianus ille, qui noſtra tempora anteceſſit iam per mille et ducentos annos, ſuperq́3, hoc uere crediderit: pariter et alijs credendum eſſe docuerit: in ſacramento altaris naturam mutari, et ſolum effigiem panis maneri. Non eſt ergo hoc nouum: niſi forte nouum dixerit: quicquid confuſo chaos non fuerit antiquius. Quod uero vvicleſizãs ait: Firmiter ſe credere corpus Chriſti eſſe panem, et panẽ eſſe corpus Chriſti. Hoc certe e nullo ſcripturæ loco uel apparenter ſuadet: immo et cum ſe ipſo, ut ſuperius oſtendimus: fœde dimicãs, cõtrarium opinari et credi omnino permittit: ſed et exemplum ꝓfecto ſuum id penitus diſſuadet. Nam q̃uis ignis ſit in qualibet parte ferri per iuxta poſitionem partium. nihilominus ferrum et ignis inter ſe ſic pernanent ſuppoſita ſemper diſcriminata: ut neutrum de altero affirmari poſſit. Proinde ſi corpus Chriſti ſit in qualibet parte panis: ſicut ignis in qualibet parte ferri: nullo haud dubie pacto dici poteſt: ut panis ſit corporis Chriſti: ſeu e diuerſo: ſicut nec ignis eſt ferrum uel contra. Exemplum igitur totũ aduerſus authorem certat. Itaq́3 pugnæ genus, quod exercet Lutherus: andabatarũ eſt: qui, clauſis oculis, cõfligentes nec qua feriant: nec qua ictus declinant: cernũt.

Lutherum ſua agmina obſident.

Figuræ

FIGVRAE LITERALES TRANS-substantiationis panis et uini in sacramento altaris.

CONTIGIT profecto hodie Luthero mente et fide lusco: quod olim euenerat Isaac, acie et oculis caliganti: qui uoci Iacob non credens, Esau similitudine deceptus, Iacob pro Esau accipiens, posteriorem filium pro priore benedixit: cum non esset illic substantia ulla prioris filij: sed sola accidentia: uidelicet odor, sapor, et pilorum tactus, quæ Esau similitudinem expresserant: et tamen uox eum Iacob esse ueraciter prodebat: quemadmodũ ipsius Isaac cõfessio fuit: Vox, inquit, uox Iacob, man⁹ autẽ manus Esau. Haud secus quidẽ nũc Lutherus mente caligans, et fide cæcutiens, dum cernit in sacramento altaris manere odorem, saporem, et panis tactum: suspicatur etiam et illic panis substãtiam superesse: quia manus quidem manus Esau. Quod si ipse non panis accidentibus, sed uoci Christi credidisset: qui dixit: Hoc est corpus meum: hæresi procul dubio illa omnino caruisset: et sola manere panis accidentia haud negasset: quia uox quidẽ uox Iacob. Vnde et tria mutationum genera stupore admodũ digna ad eorum, quos unice dilexit: refectionem deum olim confecisse, scriptura sacra cõmemorat. Primum nanque mutationis genus fuit: et id satis mirandum: quando naturalem substantiæ qualitatẽ deus sic mutauit: ut qualitas prius periret: substantia autẽ ipsa omnino integra et salua superesset; ueluti in aquis Marath, quas suapte natura

Genes. 27.

Genes. 27.

Aialis fallitur Lutherus.

Exodi 15: amaras, ut populũ, quem plurimi fecerat: in deserto deus potaret: inoffensa substantia aquæ, mirum in modum fecit suaues: quod etiam et natura facit: adolescentioris uuę acredinem in dulcedinem uertens: licet id agatur temporis tractu. Secundum quoq; mutationis genus extitit mirabilius: ubi totam rei substantiam pariter et accidentia uerterat deus in nouam substantiam nouasq; qualitates, prioribus multo præstantiores. quod utiq; operatus est Christus in nuptijs in Chana Galilęæ: ubi ipse cõuiua in mensa aliena, ut discumbentes, quos in præcio habebat: reficeret: aquam transmutarat in uinum: quod utiq; et uitis facere nouit: nisi quod deus extemporaliter, uitis autẽ dierum intercapedine id agit. Tertium uero mutationis genus ac omnium quidem longe maxime mirandum, omneque naturæ robur exuperans, fecit Christus in mensa non peregrina sed propria: ubi in cæna postrema, ut suos discipulos, quos tantopere amauit: non ad uentrem et dẽtem, sed ad mentem et fidem pasceret: totam substantiam panis et uini in corpus et sanguinem suum mutauerat: accidentibus tamen panis, citra ullum subiectum, in sua integritate sic restantibus, ut species et accidentia panis illic pati simul et agere ualeant: quicquid pristina substantia panis potuit: hoc autem non natura: sed dumtaxat ille agit: qui facit mirabilia solus. quod non solum ob id fecit deus in hoc sacramento: quia illum decuit in cunctis generibus mutationum omnipotentiam suam ostendere: sed etiam, quia ad maiestatis suę honorem spectabat (cũ manus domini non sit inualida) ut mirabiliorẽ in mensa propria,

Ioan. 2.

Matthęi. 26

pria, q̄ extranea, in sua q̄ aliena mutationē faceret: ut pro uero tunc haberetur: quod de hoc sacramento uates Dauid longe antea cecinit: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator dominus: escam dedit timentibus se. In sacramento nanq; altaris si maneret uera substantia panis: in cuius unaqualibet parte sit corpus Christi: ceu ignis in qualibet parte ferri (uti asserit Lutherus, diuinæ potentiæ honorem non ferens) citra ullam dubitationē in hoc sacramento nō fecit Christus memoriā mirabilium suorum: cum talis modus essendi in pane, sicut ignis in ferro, non sit mirabilis: neq; uires naturæ creatæ transcendens: et ideo, ut iuxta figuram et literæ typum in hac re aliquid modo clarius dicamus: Manna, quo populum Hebrçorum in solitudine deus pauerat: quemadmodum manifestissima sacramenti altaris figura fuerit: Ita plurimis et magnis rerū miraculis, panem illum deus mirifice ornauit. Ac inter multa quoq; prodigiorum stupēda in illo figuratiuo pane, quantum iam ad nos spectat: duo prçcipue, ut scriptura recolit: mirabilia admodū extitere. Primum, q; qui plus de pane illo collegerat: non habuit amplius: nec qui minus parauerat: minus q̄ sufficiebat: repperit: sed quicquid congregauerant: in collectura cuncti erant pares: in quo non solum adumbrabat totum Christum, non minus esse in una qualibet parte hostiæ diuisæ, q̄ in plena hostia: sed etiā christianū illū tā abūde cōmunicare, qui una specie cōmunicat: q̄ qui utraq; specie sacramenti: quia neuter magis neuter minus q̄ totum Christum accipit. Quo facile colligitur: q̄ stultum et insanum

Psal. 110.

Exodi. 16.

Exodi. 16.

insanum sit pertinaciter contendere, oportere laicum hominē utraq; specie uti: cū cōmunicans ipse non minus una specie, q̄ duplice specie sacramenti cōmunicarit. Secundū quippe mirabile non fuit priore minus: quoniam in illo quidem pane typico mannę, sicut fuerat sapor quidā naturalis: utpote simile cum melle: Exodi. 16. haud secus in eo aparuerūt multifariā supra cūctas naturæ uires carnis qualitates: uidelicet odor, gustus, sapor, et cætera carnis accidentia, quæ hominū desiderijs obsequentia eos saginate alebant sine ulla substantia carnis: quemadmadum scribitur sapientiæ. 16. Panem de cælo præstitisti eis omne delectamentum in se habentem. Et q̄uis panis ille omne delectamentum carnis, quatenus ad odorem, saporem, et corporis nutritionem in se contineret: in pane tamen illo nulla fuit substantia carnis: sed sola carnis accidentia: utpote odor, gustus, et sapor sine proprio subiecto: quandoquidem bonis et nequaq̄ sceleratis omnes delitias sapiebat. Quamobrem cum in illo pane typico et adumbratili sacramenti altaris dumtaxat figura, tanta mirabilia operatus fuerit deus: ut etiam accidentia sine proprio subiecto essent: quāto, obsecro, magis fecit deus: ut in figurato essent accidentia panis citra substantiam panis: qui prius fecit in typo: ut essent carnis accidentia sine substātia carnis? Alioqui misericors et miserator dominus, qui dat escam timentibus se. In hoc sacramento non fecit memoriam mirabilium suorum: quæ prius ipse fecerit in māna: sed potius altioribus miraculis ornasset Christus panem typicum: q̄ sacramentum altaris: ubi est corpus suū

uerum

Exodi. 16.
Sapien. 16.
Numeri. 21.
Psal. 110.

uerum. Quamobrem primo, ut omnipotẽtiam suam, per excellentissimum trãsmutationis genus, Christus in propria mensa patefaceret: ac deinde ut corpus suum in sacramento altaris, maiore miraculorum stupore, honoraret in ecclesia: q̃ olim decorauit manna panem typicum in synagoga: ac postremo ut credendarum rerum magnitudo et ipsa credendi difficultas christianis ad meritorum cumulum ꝓficerent: Christus, qui facit mirabilia solus: transmutauit, in sacramento altaris, substantiam panis in uerũ corpus suum: panis tamen accidentibus semper integris, et etiam sine subiecto saluis: quia hæc est mutatio dexteræ excelsi: qui fecit quæcunq; uoluit in cęlo et in terra: id, quod ecclesia credit catholica: licet in hoc sacramento tam magna excelsa et immensa a deo fieri, vviclefus, Hus, et Lutherus negãt: Quia in multitudine uirtutis tuæ domine mentientur tibi inimici tui.

Psal. 176.

Psal. 110.

LVTHERANAE RESPONSIONIS CONFUTATIO.

SED SATIS equidẽ scio: ꝙ Lutherus, ut uir est in oĩbus mordicus ac dimicacissim⁹: ita et in hoc loco cõtẽdet. Pouelus iste trãssubstantiationem panis et uini Lutherũ iã docet: sed nihil cõtra bellatorẽ pugnat. Ego autẽ uir pugnator sum contra ecclesiam: ac panis et uini transsubstantiationem strenue dimicans: et ideo deberet ille: si mecum uelit certare: non exemplis, non similitudinibus, nõ figuris (talia enim nõ admitto) sed manifestis clarisq;

ſcripturis probare, panis et uini ſubſtantiam in ſacramento altaris non manere. Sed attendas, precor, Luthere: qui ſi uſq; adeo es indomitus: ut nullo pacto doceri uelis: ſed ſemper pugnare: quod chriſtiani hominis non eſt: nec etiam digneris Dauid uatem manifeſte cõtra te bellantem audire: audias tandem uel ipſum Chriſtum: cõtra quem plusq̃ inſanum eſt contendere: in aperto campo te reuincentem. Chriſtus enim eſt: qui de ſacramento corporis ſui
Matthęi. 26 apud Matthæum dicit: Hoc eſt corpus meum. Si enim illic ſubſtantia panis manſiſſet: abſurda quippe et incongrua fuiſſet huiuſmodi Chriſti locutio, Hoc eſt corpus meum, monſtrando panem. Chriſtũ uero non probe uerba ſua tuliſſe, ſed abſurde: nemo, niſi blaſphemus, dicit. Nec anſam quidem præſtat Luthero: quod in hebręo habetur, Hic eſt corpus meum: quando ad id ſolum impulerat neceſſitas linguæ uacãtis neutro. et ideo primus germinantis eccleſiæ interpres, qui Matthæum de hebręo olim latinum reddidit: haud quaq̃ tranſtulit, Hic eſt corpus meum: quod citra ullam dubitationem feciſſet: ſi ſubſtantiam panis illic remanere eccleſia credidiſſet: præſertim cum ad id faciundum oportunitas linguæ plurimum inuitaret: uerum quia palam uidebat fidem naſcentis eccleſiæ conſtanter tenere: in ſacramento altaris eſſe uerum corpus Chriſti abſq; ulla ſubſiſtentia panis: propterea ut nulla poſtea chriſtianis in euchariſtia ſubſiſtentis panis coniectura foret: ſed uerum corpus Chriſti in euchariſtia citra ſubſtantiam panis eſſe perq̃ aperte oſtenderet: traduxit ipſe, Hoc eſt corpus meum, ſola facta relatione ad

corpus

corpus Christi: ut mihi quidem nunc ferme pro miraculo habeatur: quenquam oculis tam talpeis ac cæcutientibus esse, ut uel sole clarius non cernat, his Christi uerbis hanc Lutheri hęresim per omnia explosam relegatamque: quemadmodum illustrissimus Anglorũ rex in libro, quẽ in Lutherum miro ingenio pariq; doctrina excuderit: clarissime illustrauerit: utpote absconsa Lutheranę fraudis haud obscure detegens, et doli sui imposturas mirum in modum spersim reuelans: cuius profecto in hac re ęgregius et uigilantissimæ mentis labor, eorũ tacite redarguit ingenia: qui hodie tanq̃ eximij rerum et linguarum professores, et sua opinione orbis magistri, ad aliena carpenda opera, et proprias aucupandas laudes, eloquentia tument: in tanta autem tãq; ponderosa christianę fidei causa iam prorsus silent: quod an ignauia, aut Lutheranę factionis gratia fit: nescitur. præsertim cum occasio scribendi, si ueri orthodoxi haberi uelint: uel maior uel certe melior illis nunq̃ oblata fuerit: qua et suæ fidei integritatem, et peritiæ facundiam ipse cum maiore ftuge aliquando ostendant. Verum ut incepta prosequamur: Christus, ut suis christianis palam monstraret, in sacramento corporis sui non panis substantiam: sed corpus suum illic sub panis accidentibus esse, in aperto ait: Non hic, sed hoc est corpus meum, non panem, cuius substantia iam mutata est: sed uerum corpus suum ostendendo. Rursus et Christus, apud Matthæum et Marcum de sacramento sanguinis sui locutus, ait: Hic est sanguis meus noui testamenti. Si enim in sacramento sanguinis Christi mansisset ue-

rum uinum. Quis, rogo, tam cæcutit: qui non facile perspiciat Christum omnino absone ineptecꝫ fuisse locutū: Hic est sanguis meus manstrando uinum. quod bene christiano, ne cogitare quidem licet: ne dum efferre: quocirca ut omnē prorsus id genus errorem Christus posteris hæreticis adimeret: et in sacramento non uinum, sed sanguinem suum sub specie uini esse doceret: non abditis, sed apertis uerbis dixit: Hic est sanguis meus noui testamenti non uinum: cuius substantia mutata est: sed sanguinem suum monstrando, qui prius in benedictione Christi, sicuti antea ostendimus: consecratus erat. Cum uero alter a Christo sacerdos celebret non benedicendo, sed uerba Christi recitando, Christi sanguinem consecrat. Nec exigitur per articulum, hic, aliquod præsens coram monstrari: cum capiatur illic articulus non indicatiue, sed, ut ita loquar: materialiter et recitatiue. Et iccirco sufficere per Christum prius fuisse aliquid ostensum: quemadmodum de sacramento corporis Christi, caput superus enodatius explicuit. Cæterum anguis iste lubricus ueritus deprehendi, quasdam latebras, in quas irrepat: astute sibi forte seruauit: et dicet: ut suspicor Christum in sacramento altaris assumere sibi naturam panis in unitate suppositi. quod reuera uisus est ipse: non obscuris uerbis asserere. Nam sicut hic homo, inquit, est deus: et hic deus est homo: ita et hic panis est corpus Christi: et hoc uinum est sanguis Christi. Quod si ita se res habet: cum naturam, quam semel Christus assumpsit: nunquā deseruit: consequens profecto erit: ut Christus ad dexteram patris iam

Effugium meditatur Lutherus.

sedeat:

ſedeat: non ſolum humanatus, ſed etiam totus impanatus, ſitq́ ad iudicium uenturus paniſicatus, corpus habens, quod non eſt de uirgine natum, nec in cruce paſſũ. In quo re uera homo iſte eſt magis ridendus: q̃ ullis ſcripturis aut rationibus confutandus. Ridẽda Lutheri ſtultitia.

LVTHERVS.

EST ET longe alius impijſſimus abuſus: quo factũ eſt: ut nihil ſit hodie in eccleſia acceptius et magis perſuaſum: q̃ miſſam eſſe opus bonum et ſacrificium: ſed ſtet primum et infallibiliter ſtet. Miſſã ſeu ſacramentum altaris eſſe teſtamentũ Chriſti, quod moriens poſt ſe reliquit diſtribuendum ſuis fidelibus: ſic enim habent eius uerba: Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine. Stet inquam iſta ueritas: ut fũdamentũ immobile, ſuper quo omnia ſtruemus. Non ſtabit fultrũ arundineum. Senſum euangelij cõſpurcat.

POVELVS.

QVID EST, rogo, quod modo Luthero non liceat: poſteaq̃ ſtigea propemodum efferbuit ira: Turbatus eſt enim in ira oculus eius: anima eius, et uenter illius. Nam quicquid ad errorum ſuorum robur ex capitis uertigine fingit: hoc cõtinuo nobis pro oraculis porrigit: ab omnibus credi geſtit: qui nec eccleſiæ nec euangelio credit: et cuncta tanq̃ ad cribrum dicta proponit: qui abſq́ ratione omnia dicit. Non eſt, inquit, miſſa, ſeu ſacramentum altaris, opus bonũ neq́ ſacrificium: ſed promiſſio Chriſti, et eius teſtamentum. Hoc enim ipſum centies repangit, ſtultus iterans uias ſuas: quaſi mendacium crebrius recantatum deſierit eſſe mendacium. Et iccirco Pſal. 30.

fundamentum hoc iam primo uideamus: an sit petra firma, uel labili iactum arena. Permittamus etiam Luthero, quod uuice optat: omnia licenter loqui: et si opem ferre illi possit: missam et sacramentũ altaris pro sinonomis habere. Verba enim Christi, quæ apud Lucam inuenit: pro sua sententia Lutherus apporrat. Dicit enim illic quidem
Luc͏ę.22. Christus: Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine. Verba ista Christi gaudens et alacer arripuit sibi Lutherus: non quia in illis ueritatem quærebat: sed quia in illis errorem suum stabilire cupiebat: non enim aromata, sed male olentia porci quærunt. Nam hic sermo euangelistæ Lucæ, cum sit anceps et dubius: sicut phrasis ipsa coram indicat: quonam pacto syncęre interpretandus fuisset: non suum cerebrum male sanum, sed Matthæum et
Matthęi.26 Marci.14. Marcũ citius consuluisset. Vnde et illic nomen calicis, ubi continens pro contento capitur: satis admonere eum debuit de hypallage: ut uel eo cogeretur: aliorum euangelistarum in ea re scrutari sententias. Nam apud Marcũ sic
Marci.14. habetur. Hic est sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur. Apud Matthæũ uero, qui Christi passionis causam apposuit: quod neq; Marcus neq; Lucas fe-
Matthęi.26 cit: ita scribitur. Hic est sanguis meus, non nouum testamentum: sed hic est, inquit, sanguis meus noui testamẽti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. Neuter ergo euangelistarum sacramentum sanguinis appellauit testamentum; cum sanguis Christi nullo modo sit testamentum: sed solum appellauit sanguinem testamenti: in quo stabiliuit Christus nouũ testamentũ pro-
missionem

missionem hæreditatis æternæ: sicut olim in sanguine pecudum firmauit uetus testamentum, promissionem hæreditatis temporarię: qua fidem ueteris populi tunc alebat: postea incarnationis suę tempore christiano populo sublimiora promissurus. Et ideo sicut sanguis brutorum non fuit uetus testamentum: sed in eo testamentum uetus firmabatur Iudęis: ita nec sanguis Christi est testamentum nouum: sed in eo christianis stabilitur nouum testamentum, atq; facta a Christo promissio hæreditatis æternæ. Horum igitur euangelistarum magisterium, q̃ ingenij sui arrogantiā si in re dubia Lutherus magis attēdisset: nunq̃ profecto sacramentum altaris (quod multo abuso missam uocat) Christi testamentum aliquando nominasset. Videtis ergo q̃ ualido ariete euangelicam ueritatem se posse concutere sperabat Lutherus: cum sibi non aliud q̃ merū sophisma esset: et id ipsum oī arundine fragilius, adeo suis stultitijs fidit. Proinde cernitis Lutheri fundamentum, solo non solido, sed trementibus locatū esse paludibus: ubi omnis errorum eius strues (ut palam tenetis) prorsus iam funditus ruit. Proinde cum sit iam clarum, contra Christi uerba patenter errasse Lutherū, ac sinistre omnino de Luca sensisse: modo q̃ sit sibi contrarius et pugnax: imo et q̃ aperte suis uerbis, id quod maxime nolit: missā esse opus bonum inscius probat: quęso diligenter aduertite.

LVTHERVS.

IN VERBO Christi et prorsus in nullo alio sita est uis: natura et substantia missæ uerba autē Christi, quibus hoc sacramentū instituit: sunt hæc. Cœnātibus autē illis

illis, accepit Iesus panem gratias agens, benedixit, et fregit, deditq; discipulis suis: et ait: Accipite et manducate: hoc est corpus meum: quod pro uobis tradetur. Et accipiens calicem, gratias egit: et dedit illis: dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim calix nouum testamentũ in meo sanguine: qui pro uobis et multis effundetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationẽ. Vides ergo infallibiliter: quod missa seu sacramentum altaris sit testamentum et diuina promissio. Et ideo ad missam digne habendam, aliud non requiri q̃ fidem: opera enim nostra deus nihil curat: nec eis indiget. Indiget autem: ut uerax in suis promissis a nobis habeatur.

Hęc uerba bõa hũc ma lũ premunt.

Cęcus digito uiã monstrat.

Lętale mulsum.

POVELVS.

CVM ERGO ex his Christi uerbis (licet eis in suum malum Lutherus abutatur) modo aperte satis constare possit: q̧ in natura et substantia missæ tria subsunt. Primo udielicet gratiarum actio: quia accipiens Christus panẽ in manibus grãs egit: quod utiq; bonũ op[9] esse negare quis potest? Deinde cõsecratio corporis Christi mutando panem in corpus suum uerum, quomodo, rogo, opus non est excellentius et melius? Postremo spiritualem discipulorum refectionem, qua eos suo corpore Christus pauit: quia benedixit: fregit: et dedit illis: et consecrandi corpus suum potestatem illis contulit: quia dixit: Hoc facite in meam commerationem: quis nescit opus esse magnificentissimum? Proinde cum ista Christi uerba sunt: et ideo alia esse non possunt, q̃ uera. Quæ est, rogo, ista Lutheri stultitia? imo quæ dementia, omni insania superior?

Matthęi. 26

Marci. 14.

Matthęi. 26

rior? negare missam esse opus bonū: quando in natura et substantia missæ fatetur Lutherus tot extare opera bona? uidelicet gratiarum actionem, panis in corpus Christi consecrationem, et animæ spiritualem refectionem. Missam ergo esse opus bonum, uel euidentius uel manifestius probare poterit nemo: q̃ haud dubie ex natura et substātia missæ, unus Lutherus iam corā persuaserat. Quia hostes Christi, citra suam intētionem, pro Christo nōnunq̃ etiam nescij pugnant: et quo infestius aduersus eum certare se putant: eo felicius eius causā tuentur: et sępe etiam inuiti promouent. Videtis ergo missam esse opus bonū, in qua constiterint tot opera bona: quin si bonum opus non fuisset: discipulis et sacerdotibus nunquā mandasset Christus: Hoc facite in meam cōmemorationem. Et quidem si totam missam persuaserit Lutherus, in illis Christi uerbis paucissimis integre constare: nec illis prorsus aliud addendum quicq̃: immensas profecto gratias debent uenatores Luthero: qui tam curta illis constituit sacra: quibus pro accepto ferarum indagatores nihil magis habēt: q̃q̃ primis nascentis ecclesiæ patribus longe aliud uisum fuerit. Nam Petrus, qui in cœna nouissima missæ Christi interfuit: sicut omnium apostolorū princeps fuit: ita primam missam Antiochiæ solemniter (ut annales tradunt) primus omnium celebrauit. Et quia Christus nimirū in missa, quam uocant: orationes deo patri fecit: Nam, ut Matthæus, Marcus, et Lucas referunt: gratias egit: icirco Petrus in hoc Christum imitatus, in missa sua etiam et ipse orationes habuit: sed eas solum tres. Inchoādo ibi

Lepus i Lutherū facetus.

prima missa post Christū solemniter celebrata.

hanc igitur oblationem: cætera autem postea diuersis tẽporibus a sanctis patribus sunt apposita: quemadmodũ Iacobus apostolus Hierosolimis celebrans adiecit orationem dominicam. Reliqua uero ad sacramenti reuerentiã et missæ specimen pij ecclesiæ patres deinceps addiderũt.

Celebratio sacerdotis cur missa dicitur.

Vnde opus tam eximium ab apostolis iccirco appellabatur missa: quod idipsum sacrificiũ: quod in ara crucis pro mundi uita immolatũ fuit, etiam sub forma panis et uini interueniente sacerdote in memoriam Christi passionis, in altari, tanq̃ plena ecclesię oblatio, deo patri deuote transmittebatur: quemadmodum lucidius postea clarus scripturarum splendor illustrabit. Ac ob id, consummato tãto opere, in calce semper dicebatur: Ite missa est: dictu quidem hoc est: abite. Quoniã oblatio ecclesiæ, et totius populi, ad deum iam missa est: sicut ipse mãdauit: dicẽs: Hoc facite in meam cõmemorationem. Vt apprime profecto puderet Lutherum: missam inficiari bonũ opus esse: cum eam tot bonis operibus refertã; et Christi uerba pariter et Lutheri confessio perspicue commonstrant. Verũ hic addit Lutherus: Vides ergo infallibiliter, inquit, ꝙ missa seu sacramentum est testamentũ, et diuina promissio. Ecce Lutherus, catholicos astu fallere conatus, iactitat nunc, illo uiam monstrante, alios iam infallibiliter uidere: quod ipse profecto nunq̃ uiderit: missa, seu sacramentum altaris, inquit, est diuina promissio. Nimirũ tam et si multiplex ac uaria quoq; emerserit ratio: cur sacramẽtum altaris Christus in suo abitu instituit: et ecclesiæ suæ tribuerit: tamen ut multa paucis comprehẽdam: tam uenerabile

nerabile ſacramentum a Chriſto in cœna confectum, tri=plicem in finem Chriſtus ipſe diſpoſuit: uidelicet in ſum=mum eccleſiæ ſacrificium, in ſpiritualem eccleſiæ cibum, et in diuinæ explendæ pollicitationis arrabonem. Primũ, inquã, inſtituit Chriſtus in cœna ſacramentum altaris, in ſummum eccleſiæ ſacrificium: ut euacuatis in Chriſti paſ ſione cunctis ſynagogæ ſacrificijs, quæ multa utiq; et nu=meroſa fuere: foret illud unicum pro alijs omnibus in cõ=ſummatũ eccleſiæ ſacrificiũ ad memoriam Chriſti paſſio=nis, qui pro ſalute mundi in cruce ſe obtulit deo patri: atq; id ipſum quidem eſt: quod Chriſtus ſuis diſcipulis in cœ=na mandauit, his uerbis: Hoc facite in meam commemo=rationem: perinde atq; diceret: quemadmodũ pro eccle=ſia me ipſum ſacrifico in cruce: illic terminans et conſum=mans omnia ſacrificia ſynagogæ. Ita et hoc ſacramentum corporis et ſanguinis mei, in memoriam paſſionis meæ, qua hominum genus tam chare redimo: apud uos ſem=per habere mando: in iuge ſacrificiũ eccleſiæ. Et ea plane cauſa eſt: cur in canone miſſæ, hoc ſacramentum paſſim uocatur hoſtia, oblatio, ſacrificium: ut anceps omnino nulli catholicorum iam eſſe deberet: Chriſtum in cœna ſa cramentum altaris inſtituiſſe in iuge eccleſiæ ſacrificium: quod omnibus ſynagogæ ſacrificijs ad plenum ſuccede=ret: et quicquid in illis promiſſum fuerit: etiã abunde per=ſolueret. Secundum uero inſtituit hoc ſacramentũ, in ſpi=ritualem eccleſiæ cibum, quo multiplice ac copioſa quoq; gratiarum uarietate eam ſpiritualiter reficeret nutriretq;: ut quemadmodum manna in deſerto, omne delectamen=

In triplicẽ finẽ a Chri=ſto euchari=ſtia inſtitui=tur.

Euchariſtia ſtatuitur in ſacrificium

2. Euchari=ſtia datur in ſpiritualem cibum.

tum corporale in se comprehendens, ad pascendam in hominibus corporalem substantiam, uniuscuiusq; deseruiebat uoluntati: æque nūc plane et multo quidem uberius, cum brachium domini nec infirmum nec impotens sit: foret etiam sacramento altaris alia longe maior dulcedo: atq; gratiarum quoq; intimior et quędam mulsior suauitas, qua pro fide et pietate recipientis animam spiritualiter resocillaret atq; aleret. Deniq; ut iam tertio, quod postremum est: dicam. Instituit etiā Christus altaris sacramentū, in diuinæ implendę ꝓmissiōis arrabonē: quoniā sicut oīa moysaicæ legis sacrificia, donata fuere synagogę, tanq̄ arrę et pignora quædam, in signum Christi uenturi, qui eam redempturus fuerat in mundo: hoc prorsus excepto, quod ipsa Christum, non uere, sed dumtaxat typice continebant: Ita haud dubie sacramentum altaris Christum non figuraliter, sed omnino ueraciter complexum, collatū est ecclesiæ in arrabonē beatitudinis æternę: qua est Christus suam ecclesiam glorificaturus in eius secundo aduentu: quem Christus simulac consummauerit: consummabitq; una sacrificium eucharistiæ, pro ea suam faciem in gloria iustis ęternaliter ostensurus. Qua in re latere profecto non poterit: q̄ accumulata imensaq; fuerit erga nos seruatoris nostri Christi dilectio et charitas: qui nobis interminabilis gloriæ promissionem, tanto arrabone, hoc est corporis et sanguinis sui sacramento: firmauit: ut cerni a cunctis iam plane ualeat, etiam ipso sole clarius: sacramentum altaris nō esse diuinam promissionem: ut Lutherus nobiscū digladiatur et pugnat: sed in soluendę diuinæ

3. donatꝰ eucharistia in arrabonē.

promiſſionis argumentum, hominibus quippe arrabonẽ eſſe et pignus. Nec cauſa ulla ꝓfecto iam extitit: cur miſſam ſeu ſacramentum altaris, teſtamentum et diuinã promiſſionem uocaret: niſi ut infirmos et uacillantes animos rerũ nouitate turbaret: et turbatis ſemel ſimpliciũ oculis infidelitatis tenebras paulatim offunderet: quod illũ modo machinari, et niti, haud parum ſiquidem detegit: peruerſa ac impia illa uerborum phraſis, quam ſubdit: uides, inquit, ad miſſam digne habendam, aliud non requiri q̃ fidẽ: opera enim noſtra deus nihil curat: nec eis indiget. indiget autem: ut uerax in ſuis promiſſis a nobis habeat̃. Audiſtis ergo o c̃riani peſtiferũ huius ſerpentis ſibilũ: qui de cauerna egreſſus, exporrecta iam lingua, omnia diuina ſimul et humana, ueneno ſuæ nequitiæ, ſuffũdit. Nam animaduertite, quęſo: quam frontem præ ſe gerunt hæc uerba Lutheri: Opera noſtra deus nihil curat. Nempe, ut omnium bonorum operum deſtinata, e mortalium mentibus penitus diluat. Quoniam quid ieiunijs, quid orationibus, quid elemoſynis, quidue cæteris pietatis operib⁹ homines tam ſolicite inſeruirent: aut ea tam ſtudioſe implerent: ſi nihil de his curare deum autumarẽt? Iſta enim opera deus ipſe mandat: an forte aliqua mandat: quę nõ curat? aut quicq̃ præcepit: quod ipſe non reſpicit? aut de his, quæ imperat: nihil forſan ſolicitudinis habet: ut de contemptoribus ulciſcatur: et de his, quæ eius parent imperio: bene ipſe mereatur? ꝙ ſi illos acriter punit: iſtos autem ampliter remuneratur: cur dicit ipſe, opera noſtra deum nihil curare? An non curabat olim deus, Cornelij Actuum. 10.

 uiri,

uiri adhuc gentilis, et christianæ fidei non dum scioli, ele= mosynas et preces? ob quas re uera ad eum misit deus an= gelum de cælis, Petrum suum uicarium in terris, et spiri= tum sanctum de altissimis. An igitur opera illa Cornelij deus nihil curabat: ob quæ tam immensa faciebat? Cur ergo dicit: deum ad opera nostra respectum non habere? qui ad Cornelij preces et elemosynas tã benigne respexit: etiam anteq̃ ipse ad fidem Christi aliquo pacto aspiras= set? Itaq; tã et si nec nostra fide, nec nostris operibus op⁹
Psal. 15. sit deo unq̃: quia bonorum nostrorum non indiges dñe: tamen cunctorum hominum opera curat ipse: qui uult omnes homines saluos fieri: nec ociosos patitur ad regnũ cælorum peruenire? Quid ergo Luthero iam in mentem uenerit: ut contenderet, deum operibus nostris nihil cõ= moueri: cum interim de cælo respexit dominus super filios
Psal. 32. hominum: ut uideat: si est intelligens, aut requirens deũ? Nisi quia dixit insipiens in corde suo: non est deus? Quin et hoc loco etiam iniuriam deo q̃ maximam irrogat: qui cum bonorum nostrorum nihil indigeat: tamen omnipo= tentem ad tam extremam inopiam redegit: ut illum certa= ret fide nostra indigere: ut in suis promissis uerax habea= tur: quasi si nos infideles fuerimus: deus in promissis suis uerax esse omnino non possit. Sed de his iam satis, cũ ab= surdior plane sit hæc hæresis: q̃ ut responso ullo mereatur refelli. Supersedeat ergo Lutherus: qui tota errat uia: ab his stultitijs, uerius dixerim insanijs: quandoquidẽ mul= to rectius et sibi, et animæ suę saluti, possit consulere: pri= die cauere, q̃ postridie pœnitere: et certe principio q̃ fini mederi.

mederi.

LVTHERVS.

NAM ET alterum ſcandalum amouendũ eſt: quod multo grandius eſt et ſpecioſiſſimum: id eſt: ꝙ miſſa creditur paſſim eſſe ſacrificium: quod offertur deo: in quam opinionem et uerba canonis ſonare uidentur: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia: Et infra: Hanc oblationem: Item clariſſime poſtulatur: ut acceptum ſit ſacrificium: ſicut ſacrificium Abel. &c. Inde Chriſtus hoſtia altaris dicitur. Accedunt his dicta ſanctorum patrũ tot exempla: tantusq; uſus per orbem conſtanter obſeruatus. &c. Sed repugnat tamen miſſam eſſe ſacrifciium: cũ illam recipiamus: idem autem ſimul recipi et offerri non poteſt.

Baculo fiſdis plusq̃ putrido.

POVELVS.

ATTENTIS, precor, oculis modo conſpicite: q̃ ingente animæ ſuæ periculo, omnem nunc iacit aleã Lutherus: ſi quo forte modo fieri poſſit: ut ſacramentum altaris pro ſacriſicio catholicis tollat. Nam q̃uis iamprid ẽ multa contra euchariſtiam, plus q̃ impie, molitus fuerit: tamen hoc parum quidem eſt uiſum Luthero: niſi etiam iam ſacramentum altaris, chriſtianorum eſſe ſacrificium omnino negaret: In quo et ſi fuerit vviclefo ſciẽtia minor: eſt tamen malitia maior: et propterea hoc nobis modo diligenter curandum erit: ut quantum homo iſte per deuia uagus in hac re, a Chriſto et eius ueritate delirauerit: etiã ex ipſis ſyncęris puriſq; ſcripturis, ueluti in ipſa meridie, depromamus. Sed anteq̃ in hoc negocio alia adoriamur: id nos

id nos oportet hic in primis uidere: quid pręcipuum extitit: quod Lutherum hodie impulerat: ut contra canonem missæ, contra tot sanctorum patrum dicta, contra ecclesiæ usum, tot seculis obseruatum, missam refragatur esse sacrificium. Nempe quia repugnat, inquit, missam esse sacrificium: cum illam recipiamus: idem autem simul recipi et offerri non potest. Porro argutulam rationem hanc habet Lutherus pro anchora, ut aiunt, sacra: qua solide, ut fidit: errorem firmet suum: et ideo aduertite hic, quæso, q̃ cęca sit huius homūcionis cōcertatio: qui, spretis scripturis, ad deliramenta uersus, usqueadeo etiam dementat: ut dum meracissimis stultitijs nugatur: putat certe ipse: ꝙ eximie philosophatur: Repugnat, inquit, missam esse sacrificium: cum illam recipiamus: idem autem simul recipi et offerri non potest. Nimirum pinguis minerua et plusq̃ crassa, cum et istęc quidem argutia in caput suum nō potest non recidere. Christus nanqꝫ in cruce, pro salute mūdi, corpus suum deo patri obtulit: repugnat autem idem, simul recipi et offerri. Quare Christus corpus suum, deo patri in cruce oblatū, nunq̃ resumpsit: neqꝫ aliqñ recepit. Hoc autem dicere, catholicę fidei q̃ sit pugnās atqꝫ aduersatissimum: quiuis christianus indubie nouit: etiā et Lutherus ipse. Quamobrem si hoc disputandi genus sit ludibrio obnoxium: et reuera magis q̃ ridendū: Cur se ipsum non irridet Lutherus, tam aniles nobis spumās ineptias? missam, inquit, repugnat esse sacrificiū: quia idem simul recipi et offerri non potest. Ita ergo disceptare, ut modo Lutherus, si non est desipere: dicat mihi, quæso, quid est desipere?

Lutherum sua sophisma premūt.

desipere! Sed profecto ista disputandi cōsuetudo Lutheri e maternis est hausta mammis: ut pro ueris argumentis, aliud afferat nihil, q̄ meras anicularum nenias: et tamen eas esse putat: quas non absoluat etiam Appollo ille Pithius sibi ipsi in cunctis adeo fidit: in quo non possum equidem mirari satis: ut suam ipse stultitiam non uideat: quæ etiam uel cæco pateat. Nam ut de sacrificio panis et uini, quod Melchisedech, sacerdos dei altissimi, deo obtulit: oblatumq; recepit: modo sileamus: et ad ea, quæ in moysaica lege offerrebantur: sermo succinctus perueniat. Quis nam est, efflagito, modo ipse uetus testamētum uel in cute nouerit: qui ambigit, duodecim propositionis panes deo fuisse oblatos: et tamen esui a sacerdotibus receptos: agnum pascalem extitisse oblatum: nec eo secius ad manducationem postea resumptum. Et ut citra cunctationem, multa hic paucis expediam: quippe cum tribus leuitica pariter et sacerdotalis, ex populi oblationibus, uictimis, et hostijs, monstrante Pentatheuco, uitam degebant. necesse profecto omnino fuerat: nisi fame deperirēt: et animam agerent: ut ea, quæ primo offerebant: postea ad uescendum ipsi reciperent. Cur ergo homo bipedum nugacissimus, stultitiæ tenebris offusus, ideo negat missam esse sacrificiū: quia repugnat, inquit, idem simul recipi et offerri: cum omnia pene sacrificia moysaicę legis a sacerdotibus primo immolata, postea ad edenda denuo fuisse resumpta, tota uetus scriptura ubilibet testatur. Sed de his hactenus: cum iam satis sit: q; hominis huius, qui sophisticis litigijs finem nunq̄ imponit: imperitiam iam

in lucem aperte tulerimus. Nunc uero hoc reliquum est: ut sacramentum altaris, quod pro sacrificio Lutherus negat, et si id impie: uerum esse ecclesiæ sacrificium, deinceps apertis scripturis ostendamus: pro quo nec illud omittẽdum est. Quamquis omnia sacrificia ueteris testamenti, ita instituta a deo extiterant: ut unum sacrificium corporis et sanguinis Christi adumbrarent: quemadmodum plurima imperfecta unum perfectum: et multa uerba, unam indicant plenam sententiam. et ideo ait Augustinus. 17. de ciuitate dei, capite. 20. quod Christus omnia sacrificia ueteris testamenti, in uno sacrificio corporis et sanguinis sui, in sacramento altaris terminauit: tamen quantum ad præsens attinet negocium: tria præcipue olim fuere sacrificia: quę quoad materiam et formam, sacrificium corporis Christi in sacramento altaris cæteris insignius præsignabant. Primum nanque sacrificium fuit Melchisedech: qui obtulit pa
Genes. 14. nem et uinum: erat enim sacerdos dei altissimi: Genes. 14. Ex quo scripturæ loco manifeste cõcluserat martyr Ciprianus, in sermone de sacramento dominici calicis: Christũ omnino instituisse in cœna nouissima sacramentum altaris, tanquam sacrificium et oblationem, quam deo patri ipse primus obtulit. Ait enim sic: Melchisedech sacerdos dei summi fuit: qui panem et uinum obtulit. Nam quis, inquit, magis est sacerdos: quam dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium deo patri obtulit. et obtulit hoc idẽ: quod Melchisedech obtulerat: id est panem et uinum: scilicet suum corpus et sanguinem. Et paulo post, de sacramento altaris loquens, ait: Iesus Christus summus sacer-

dos

dos sacrificium deo patri ipse primus obtulit: et hoc fieri in suam commemorationem præcepit. Hæc Ciprianus. Ecce, hoc in loco q̄ lucide et aperte, non e suo capite: sed ex scripturę authoritate ꝑsuadet martyr Ciprianus, Christum instituisse sacramentum altaris, tanq̄ sacrificium et oblationem: et eam deo patri primum obtulisse: atq; ut similiter facerent, discipulis mandasse. Proinde in hac re non impotens, non inualidus, poterit esse Ciprianus cōtra Lutherum, unum vviclefensem: quando Lutherus asseruit, illum robustissimas habere uires aduersus omnem romanensem. Vnde, et tacente Cipriano, sacramentū altaris sacrificium esse, scriptura illa, genes. 14. apertissime clamat. Nā cū sacrificiū panis et uini, qđ obtulit Melchisedech: fuerat apertissima figura sacramēti altaris: nisi sacramentum altaris sacrificium esset: plane nec res typo nec figuratum figurę, ulla ex parte quadraret. Porro secundo si de materia et forma sacramenti iam loquamur: Profecto accommodate ualde olim pręcinebat, oblationem sacramenti altaris sacrificium panis propositionis: de quo leuitici. 24. dicitur. Et erit sanctum sanctorū de sacrificijs domini iure perpetuo. Hoc autem sacrificium panis propositionis, potissimā fuisse eucharistiæ figurā, non tā cūcti ecclesiæ doctores, q̄ ipse ueteris instrumenti ordo prodit. Et iccirco cum Christus dixerit: Non ueni soluere legem: sed implere: amen dico uobis: iota unum, aut apex unus non præteribit de lege: donec omnia fiant. Ista profecto uerba nec frustra, nec incassum protulit. Nam in lege mosaica sacrificium panis propoitionis erat unum: non iota,

Leui. 24.

Matthęi. 5.

non apex, ſed unum ſacrificium maximũ de ſacrificijs domini: ac id quoq; iure perpetuo. Et iam illud de lege omnino pręterijt. Et ideo ſi Chriſtus in lege ſua pro eo aliud ſacrificium melius non inſtituit: quomodo, obſecro, legẽ impleuit? et non potius eam ſoluerit? quando non unum iota modo, aut unus apex, ſed unum ſacrificium maximũ et perpetuum iam de lege præterijt. Et tamẽ pro eo aliud ſacrificium melius in lege ſua Chriſtus nõ inſtituit. Quãobrem ut Chriſtus legem moyſaicam nõ ſolueret: ſed impleret: nihil promitteret: quod non præſtaret: nec iota unum, aut apicem unum de lege fruſtra abire ſineret: pro pane propoſitionis, grandi ſacrificio ſynagogæ, conſtituit Chriſtus, in lege euangelica, ſacramentum altaris in ſpecie panis et uini, pro ſummo ſacrificio eccleſiæ: ut tanto præſtaret ſacrificio ſynagogæ: quanto lex noua ueterẽ, ſpiritus carnem, dies noctem, longe antecedit. Alioqui in re ſacrificia, et ea quidem maxima, Chriſtus legem moyſaicam non impleret: ſed plane ſolueret: cum pro ſacrificio illo uetuſto, ipſe in lege noua ſacrificium aliud melius non inſtituerat: quod nemo, niſi is, qui ab orthodoxa fide lõge abierit: dicet. Auſcultemus etiam et in hac re Dauid, ęgregium pſaltem in Iſrael: qui ait: Congregate illi ſan-
Pſal. 49. ctos, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Litera autem Hieronymi habet: Qui diſpoſuerunt pactum ſuum ſuper ſacrificia: quod in eundem reuera ſenſum quadrat. nec plane his uerbis de uetere teſtamento, quod olim fuerat in unius hebraicę gentis tellure et angulo celebratum: uates Dauid modo loquitur: ſed indubie de no-

uo,

uo, quod ad omnes usq; nationes, in uniuerso orbe est hodie diffusum: intelligit. sic enim initium psalmi habet. Deus deorum dominus loquutus est: et uocauit terram a solis ortu usq; ad occasum. Cum ergo sancti testamentum nouum ubilibet iam, a solis ortu usq; ad occasum diuulgatum, ordinant super sacrificia: conuenio modo Lutherum: qualia sunt illa sacrificia: Nempe non sunt sacrificia non libamina synagogæ: tum quia illa iam longe ante, cũ synagoga omnino sunt antiquata: tũ quia illa in hoc psalmo, deus ipse palam explosit. Non accipiam, inquit, de domo tua uitulos: neq; de gregibus tuis hircos. Nũquid manducabo carnes taurorum: aut sanguinem hircorum potabo? Qualia ergo et cuiusmodi sũt sacrificia illa: super quæ sancti ordinant et disponunt testamentum nouum? Loquatur iam nobis Lutherus: si tamen quippiam habet: quod dicat: qui nunq̃ aliquid adhuc bene dixit: an forte callide commentari ulla sacrificia nobis alia queat: q̃ sacrificium corporis Christi sub specie panis, et libamen sanguinis eius sub specie uini? Equidem satis scio: non possit. Nec contendat modo Lutherus, opera bona humana esse ea sacrificia: super quæ sancti ordinant nouũ testamentũ: tum quia bona opera, instructore Luthero, deus nihil curat: tum quia nouum testamentum, cum sit pactũ et promissio diuina inuoluens mortem testatoris Christi: ut etiã ipse Lutherus non diffitetur: haud quaq̃ ordinatur super bona opera nostra: sed e diuerso. omnia bona opera nostra nouo testamento, hoc est diuino pacto et promissioni: innituntur: id quod ipse uerum esse cõtendit: Et ideo

Psal. 49.

Psal. 49.

 in argu-

in argumentum diuinæ promissionis implendæ, donauit Christus suis fidelibus sacrificia corporis et sanguinis sui in sacramento altaris: super quæ ordinatur testamentum nouum: dicente Christo: Hic est sanguis meus noui testamenti: Et hoc est: quod hodie in psalmo dicitur: Cō-
Psal. 49. gregate illi sanctos: qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Quoniam quemadmodum Christus per prophetam in huius psalmi ferme exordio, ob duplicem speciem corporis et sanguinis sui, appellat sacramentum altaris pluratiue sacrificia: uti modo audistis: Ita plane in calce huius psalmi, propter unum Christi suppositum, sub utraq; specie sacramenti plene comprehensum, uocat id ipsum quidem in singulari sacrificium. Ait enim: Sacrifi-
Psal. 49. cium laudis honorificabit me: Illic iter, quo ostendam illi salutare dei. Christus per passionem suā, in cuius memoriam sacramentum altaris instituit: quadruplicem a deo patre obtinuit honorem: de diabolo fortiter triumphauit: mundum copiose redemit: cæli ianuam clausam aperuit: et ipse, a morte gloriose resurgens, super omnes cælos ad dexteram dei patris mirabiliter ascendit: quemadmodum Paulina ad Philipenses sententia est: humiliauit semet ip-
Philipen. 2. sum dominus noster Iesus Christus usq; ad mortē, mortē autem crucis: propter quod exaltauit eum deus: et dedit illi nomen: quod est super omne nomen. &c. Quas ob res cum sacramentum altaris, a sacerdote in missa oblatum, ad memoriam reducit fidelibus, hunc quadruplicem honorem: quem assecutus est Christus per suam passionem. Haud abs re quidem de sacramento altaris ait Christus:
Sacri-

Sacrificium laudis honorificabit me. Quę res facit: ut etiā in canone missæ uocetur sacrificium laudis. Vnde et quia Christus est uia: quæ ducit ad regnum: mox ibidem in psalmo subditur: Illic iter. et quia ueritas est: uiam illuminās, illico sequitur: Quo ostēdam illi. et quoniam uita est æterna et indefidiciens: protinus addit: Salutare dei. Itaq; ait Dauid: Christus in sacramento altaris est sacrificium laudis, uia, ueritas, et uita: quia illic iter, quo ostendam illi salutare dei: ad quod perducere, nulla ueteris testamenti sacrificia unq̄ potuere: ut e sermone Dauitico, clam neminem esse queat: sacramentum altaris esse sacrificiū laudis: quo Christus in ecclesia se honorabiliter uenerari et coli a christianis uelit: Quis tanto Christi honori Lutherus male christianus inuiderit. Tertio deniq; sacramentum altaris, peręgregie adumbrat torta illa panis triticei: quam in altari offerri, et a sacerdote in sublime eleuari et erigi, deus ipse olim præceperat: Exodi. 20. De Exodi. 20. huius quippe figuræ cōspicua ueritate Dauid ipse in psalmo nequaq̄ tacendum putauit. Nam cum de Christo in sacramento altaris loqueretur: dilucide ait: Erit firmamētum in summis montium. Alia litera habet: Erit fru- Psal. 71. mentum in summis montium: hoc est super uerticem sacerdotum: quos, ob status cacumē, scriptura sæpenumero appellat montes. Translatio autem Hieronymi sic dicit: Erit memoriale triticum. Translatio uero chaldaica uocata tergum, cui nullus aliquādo iudæorum fuerit ausus contradicere: ita habet: Erit messias placentula panis super capita sacerdotum: quos ob arcem honoris et dignitatis

nitatis uerticē, ſcriptura haud raro montes uocat. Et ideo
confeſtim hic uidere liceat: q̃ aperta ſit in hoc loco huius
figuræ dauitica euiſceratio: ut quemadmodum torta pa-
nis triticei in lege moyſaica, a ſacerdote coram populo ele-
Exodi.20. uata fuerat pro ſacrificio ſynagogæ: Ita, inquit Dauid,
in lege euangelica, Erit meſſias placentula panis ſuper ca-
pita ſacerdotum, pro ſacrificio eccleſiæ conſummatiſſimo.
E quo etiam et hoc cunctis elucere nūc queat: q̃ ſtultum
et plusq̃ delirum monſtratur illud iampridem Lutheri ar-
gumentum: miſſam, inquit, repugnat eſſe ſacrificiū; quia
idem non poteſt ſimul recipi et offerri: cum et propoſitio-
nis panis ſimul et torta panis, a moyſaicis ſacerdotibus in
ſacrificium eleuata, et illis oblatio fuerit pariter et eſca. Vi-
detis ergo fideles, uidetis o boni Chriſtiani: q̃ peſſime a
nouo pariter et ueteri teſtamento aberrat Lutherus: imo
uidetis quomodo iuxta chaldaicam tranſlationem, ſacra-
mentum altaris uerum eſſe eccleſiæ ſacrificium, Dauitica
uerba tam luculenter probāt: ut, niſi adamas ſit: qui nec
ferro nec igni cedit: iā amplius in hac re ābigere Lutherus
non deberet. Sed ſat ſcio: ꝙ hoc moleſte feret Lutherus:
et eum nunc male habebit; audire iam Chriſtianum po-
pulum e ſcripturis doceri, ſacramentum altaris eccleſię ſa-
crificium eſſe: et ideo audiamus etiam modo ſcripturam,
uel unicum adhuc in hac re buccinantem teſtimonium.
q̃q̃ ſi ſingula ad calculum uocarem: citius profecto dicen-
di tempus, q̃ ſcripturarum loci nobis deficerēt: Ait enim
Malachię.1. dn̄s per Malachiā: In omni loco ſacrificatur et offert̄ no-
mini meo oblatio munda: quia magnū eſt nomen meū in
gentibus

gentibus: ait dominus exercituũ. Et quæ eſt, precor, iſta oblatio munda: aut quod eſt, obſecro, illud ſacrificiũ mũdum: quod in omni loco, tã longe lateq; in gentibus, deo offertur? An forte illud eſt: de quo ſpalmiſta ait: Sacrificium deo ſpiritus contribulatus? quando Solomon ait: Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum: purus ſum a peccato? An forte orationes, ieiunia, elemoſynę, quas orthodoxi deo offerunt: ſacrificia ſunt munda: quæ mortales ad cælos euehant? cum Paulus dicat: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futurã gloriam: quæ reuelabitur in nobis. nec certe frons ulla Luthero eſſe poterit: ut elemoſynas, ieiunia, et orationes, oblationẽ mũdam nuncupet: quando omnia bona opera humana, ipſe contendit eſſe peccata: niſi forte uelit: quod alias facit ſæpe: cũ ſe ipſo digladiari. Aut quid aliud, rogo, penes nos mundum eſt: quod pro ęterna gloria, deo munde aut pure offerre poſſumus? quando, teſte Iob, cæli non ſunt mũdi in conſpectu eius: neq; iuſtificabitur in conſpectu eius omnis uiuens? Chriſtus igitur de cælo deſcendens: cum in mundo nihil mundum inueniret: quod pro mundi redemptione deo patri offerret: in ara crucis, ut patris amorem conſiliaret: placaretq; illius iram: qui æternum ſupplicĩu nobis iuſte minabatur: gratuita clementia ſe ipſum ei obtulit. Atq; ut tanti quoq; bñficij memoria apud chriſtianos iugis et perpetua maneret: corpus ſuum et ſanguinem in ſacramento altaris, tanq̃ ſacrificiũ mundũ pro nobis in eccleſia, offerendum reliquit. Et ideo hæc ſola eſt illa oblatio munda: de qua dominus locutus, ait: In omni

Pſal.50.
Prouer.20.
Eſai.64.
Iob.25.

Malachię.1. loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. Alioqui noui testamenti sacerdotio, sacrificium nouum nullum plane esset: in quo moysaicæ legis sacerdotio aliqua ex parte præpolleret. Nam cum ad sacerdotale mun⁹ pertineat: deum humanis sceleribus offensum, sacrificijs rursus in gratiam consiliare: si sacrificio corporis Christi, et libamine sanguinis sui, euangelici sacerdotes deum nō placant: cur non monstrat Lutherus: quibus sacrificijs litare debeant? cum nullum unq̃ extitit sacerdotium: quod sacrificijs et oblationibus aliquando non litabant. quam rem tam et si Lutherus in dolo dissimilat: quod facere in promptu semper sibi fuit: Paulus tamen a Christianis sacerdotibus litandum esse neutiq̃ occultabat: dicens: Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad deum: ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: Et quoniam ipse circũdatus est infirmitate: propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semet ipso offerre pro peccatis. Cum ergo Paulus, his uerbis scribens ad hebręos, sed tamen christianos, quos iudeizare noluit: nec ullo pacto uetustę legis sacrificia exercere: docuerit euangelicos sacerdotes nō solum pro peccatis populi, sed etiam pro semet ipsis, dona et sacrificia offerre. Quæ sunt ergo, precor, illa sacrificia, quæ litamina: quæ, pro tergendis populi peccatis, in ecclesia offerri Paulus ipse eo in loco admonuit? Nempe uetus illa synagoga, in Christi passione tunc humata fuit penitusq; sepulta: nec postea synagogicis sacrificijs uti, unq̃ phas esse apostolus duxerit. Dicat ergo nobis hodie Lutherus:

Ad hebr.5.

therus: si tamen quicq̃ sibi sit: quod sane dicat: quæ sunt modo illa sacrificia, quę libamina (utrũq; enim i uetere testamento erat) quorum oblationem, ꝓ expurgandis christiani populi sceleribus, a Christianis sacerdotibus fieri Paulus docuit? an per commentum meditari, aut certe effingere aliud sibi possit Lutherus (exibilatis iam synagogæ sacrificijs) q̃ sacrificium corporis Christi sub specie panis, et libamen sanguinis sui sub specie uini in sacramento altaris? minime profecto. Præsertim cum Paulus eodem in capite, hoc a nobis ita oportere intelligi, dilucide erudit, his sermonibus: Nemo sumit sibi honorem: nisi qui uocatur a deo, tanq̃ Aaron, quemadmodum scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Cum ergo iam, monitore Paulo, sacerdotes euãgelici, qui nõ humana pręsumptione, ut Datan et Abiron: uerum diuina uocatione, ceu olim Aaron in ecclesia deliguntur: extant sacerdotes secundum ordinem Melchisedech: qui ꝓ sacrificio panẽ, et pro libamine uinum obtulit. Quis, rogo, fidelium modo in scripturis, uel tenuiter eruditus emerserit: adeo hallucinatur: quin facile cernat dona et sacrificia, quæ pro peccatis populi a Christi sacerdotibus offerẽda Paulus instruxit: esse sacrificijs Melchisedech similia, illis tamen præstantiora, uidelicet sacrificiũ corporis Christi in effigie panis, et libamen sanguinis sui in specie uini: quod longe ante sacrificium Melchisedech omnino adumbrabat: ut sic et figuratum tandem responderet figuræ: et typo res ipsa longe præfulgeret. Et iccirco id ipsum est: quod hic a Panlo peregregie dicitur: Om-

Ad Hebr. 5.

Hebrę.5. nis sacerdos, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad deum: ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: dona, inquit, et sacrificia, hoc est dictu: sacramentum corporis Christi in specie panis, et libamen sanguinis sui in specie uini: et uocat utiq; Paulus hoc in loco sacramentum altaris non abs re pluraliter sacrificia: non ob id solū, q hoc sacramentum oīa sacrificia moysaicæ legis, ad plenū consummet: atq; omnibus quoq; numeris absoluat: sed multo omnium maxime propter duplicem corporis et sanguinis Christi speciem, quæ in missa non tam diuisim consecrantur: q̄ etiam seorsum offeruntur: atq; ob eam sane causam, merito tribuerit canō missæ huic sacrificio pluralitatis nomen: dicens: Hęc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. &c: Hęc dona, propter collatę gratiæ copiosam utilitatem: hæc munera, propter arrabonis pręstiti multiplicem charitatem: hæc sacrificia, propter Christi oblati in specie panis et uini admirabilem nobilitatē: In quo reuera est ecclesia Paulinum apud hebręos morem emulata: qui sacramentum corporis Christi in missa et libamen sanguinis sui, ceu iam audistis: uocat ipse dona et sacrificia. quo haud dubie cōstare iam euidenter possit: q̄ procul a fide Christi et ecclesię exorbitauit Lutherus: sacramentum altaris sacrificium esse negās: ista ex scripturis Luthere, uelis nolis, ita se habent: quod nisi perfrictissimę sis frontis: non poteris ipse negare, confligente tecum conscientia tua. Quiesce ergo catholicorum saluti, et non minus Christi honori, spiritu tam maligno detrahere: et in sacco et cinere mi frater Luthere

there, tandem disce pœnitere. siquidem pœnitentiã quã- tùlibet serã modo uera fuerit: nunq̃ repudiabit Christus: quin et perspectu modo facile sit: q̃ fuerit impium: quod postea in sacramẽto ordinis ipse deblateras. Sacerdos, inquis, non prædicans, sic est sacerdos: sicut homo pictus est homo: cum citato iam Paulo, ipse uere sit sacerdos: qui offert dona et sacrificia pro peccatis: etiam si uerbum populo non peroret: nec concionetur unq̃. An forsan Melchisedech fuisse sacerdotẽ dei altissimi, ob id Luthere negabis: quia nusquam legitur eum aliquando prædicasse? Nonne illum nomine sacerdotis dei altissimi ideo scriptura insigniuit: quia panem et uinum deo altissimo ipse immolauit? Si ergo sacerdotes euangelici, haud aliter sacris initiantur: q̃ sacerdotes secundũ ordinem Melchisedech: cur ergo iam inclamas, ore omni dedecore et probris pleno: sacerdotem minime prædicantem, haud aliter esse sacerdotem: q̃ homo pictus est homo? præsertim cum uiri primarij ecclesiæ, et hi, qui curam plebis gerunt: pro peccatis populi munde pieq; sacrificantes, licet minime prædicant: refragari tamen non possumus: uere esse sacerdotes, et eos quidem bonos: tam et si prælatos nequaq̃ bonos: ut qui inedia uerbi dei famelicum Christi populum in ecclesia perpetiantur: suo silentio deperire: Vnde et hoc plane est: quod in hac re Lutherum admodum fefellit: cũ inter sacerdotem plebeum et ecclesiæ primatem, ad quem perorare et concionari spectat: nihil oino discriminabat: uerba sua antea eructans q̃ ruminans: cum interim sæpenumero fit: ut quispiam bonus sit sacerdos: nec eo secius

malus forſan prælatus: de quo hic iam multa loqui ſuperſedemus: id in tertio libro, ubi proprium ſyntagma depoſcit: dicturi uberius: proinde hoc in loco hæc, ſicut obiter ita et breuiter, tetigimus. Cæterũ, ut unde digreſſi ſumus: illuc et redeamus. Sacramentum altaris, nec teſtamentũ, nec diuinam promiſſionem eſſe, ut Lutherus fingit: id e ſuo cerebro parum ſano, ad nauſeam uſq; nobis ſępius inculcans: ſed uerum eccleſiæ ſacrificium extare, ex utriuſq; teſtamenti claris teſtimonijs: quantum, ut confidimus: ſat eſt: tam aperte dilucideque iam prodidimus: ut Lutherus ipſe, niſi forte uelit apertis oculis ad tartara ultro decurrere: et alios ſecum ad inferos corripere: Non poterit iam deinceps id certe negare, tonantibus aduerſus eum ſacris paſſim codicibus, ſacramentum altaris, conſũmatum et uerum Chriſti eccleſiæ omnino eſſe ſacrificium: et id quidem communicabile multis, multis inquam: quia deo et ſanctis ad honorem, uiuis ad ſalutem, defunctis ad requiem. et id ſiquidem in cauſa eſt: cur hoc ſacramentum in ſimbolo apoſtolico uocatur ſanctorum communio: ut poſtea quoq; ſequentia lucidius declarabunt.

LVTHERVS.

QVID ergo dicemus ad canonem miſſæ et authoritates patrum? Primum reſpondeo: ſi nihil habetur: quod dicatur: tutius eſt omnia negare, q̃ miſſam cõcedere opus aut ſacrificium eſſe: ne uerbum Chriſti negemus, fidem ſimul cum miſſa peſſundantes. &c.

POVELVS.

QVemadmodum enim Saducęi ſpiritum et reſurrectionem

ctionem olim negantes: ut errorem suum fortius propugnarent: uniuersos prophetarum libros penitus inficias ibant: ita reuera et modo Lutherus, ut excogitatum errorem potentius defendat: non solum missæ canonem, sed simul omnium sanctorum patrum authoritates eminus a se nunc abijcit: propulsat: repellit. Quia si nil habeatur: quod dicatur, inquit, tutius est totum negare, q̄ missam concedere opus aut sacrificium esse. Superatum profecto et euictum se fatetur: qui dicit se nihil habere: quod dicatur: unde et ob id omnia proterue atq; citra ullam rationē negare. quid aliud est: q̄ abiecto clypeo succumbere et uictori locum dare? Sed iam in primis Lutherum interrogo: an credit quatuor euangelia, quatuor euāgelistarum esse: uidelicet Matthæi, Marci, Lucæ, et Ioannis. quod si non credit: tunc plane non aliud, q̄ quod solitus est: facit: sin uero id credit: mihi, precor, rationem reddat: mihi causam, quęso, astendat: cur hoc credit? cum nimirū per nullam scripturam canonicam, aliqua ex parte, enitere sibi queat, ista eorum euangelia esse: nisi q; tituli, ab hominibus appositi, hoc ita esse insinuant. Q; si mihi responderit Lutherus, hoc se credere: non ob aliud, nisi quia ecclesia pro eorum euangelijs nobis illa tradiderit: siquidem alia sibi secunda responsio super non est. Quare ergo non credit canoni missæ: quem nō aliunde q̄ ab ecclesia catholica nobis traditum fuisse omnino cognoscimus: id quod nec ipse diffitetur. æque enim utrunq; istorum ab ecclesia accepimus: et illa quatuor euangelistarum euangelia extare, et istum uerum canonem missę esse. par igitur scelus est: et

Matthęi. 22

eſt, et miſſæ cononem atq; quatuor euangelia negare: cũ ab uno eodẽq; fonte utriuſq; authoritas ęqualiter ſcateat. Deinde uero Lutherus ait: Nos non debere miſſam aſſerere eſſe opus aut ſacrificium, ne uerbũ dei negemus: Sed ſerpens iſte, et coluber antiquus, ubi ſit tale uerbum dei: non plane oſtendit. Quod profecto in medium attuliſſet: ſi uſquam in ſcripturis uel apparenter offendi potuiſſet. Quandoquidem ſcripturas paſſim dirumpere homo iſte non parcit: ut ui illic inter uiſcera rimetur: quo conceptũ animi errorem ipſe poſtea robuſtius tueatur: contra uentum et flumen fruſtra eniſus.

LVTHERVS.

QVIS uero unq̃ fuit tam demens: ut baptiſmum duceret eſſe bonum opus: aut baptizãdus crederet ſe opus facere: quod pro ſe et alijs deo offerret et communicaret. Si ergo in aliquo uno ſacramento, nullum eſt opus bonum communicabile alijs: nec in miſſa erit: cum et ipſa ſit niſi ſacramentum et teſtamentum.

POVELVS.

QVAMVIS cætera quidem omnia eccleſiæ ſacramenta, ita haud dubie ſacramenta ſint: ut ſacrificia eſſe omnino nequeant: et iccirco dumtaxat recipienti cõducunt: et multis communicabilia eſſe nequaq̃ poſſint: ut de baptiſmo Lutherus iam opponit: tamen ſacramentum utiq; altaris, eo quidem modo eſt ſacramentum: ut etiam totius eccleſiæ ſit perfectiſſimũ ſacrificium: quemadmodum ex non paucis ſcripturarum locis ſuperius, uti iam audiſtis: clare ſatis aperuimus. Quod certe et ipſe Lu-

therus

therus, nisi sit talpa cæcior: etiam iam in aperto cernit: et ideo quia sacramentum altaris uerum est totius ecclesię sacrificium: ueluti Christus ait: Panis, quem ego dabo: caro mea est, pro mundi uita: propterea toti quoq; ecclesiæ proficit: et multis, non solum in mundo, sed etiam in cęlo est communicabile: atq; eam ob causam in simbolo apostolico sacramentum altaris, sanctorũ communio recte uocatur: non quod sanctorum communio, ut aliqui non satis catholice sentientes crocitabant: id ipsum sit: quod congregatio fidelium: cũ ecclesia catholica aliud penitus non sit: q̃ fidelium congregatio: et iccirco stulta profecto et superuacanea foret: eiusdem rei tam iterata repetitio, præsertim in apostolico symbolo, ubi non uerborum redundantia, sed sermonis compendium omnino seruandũ fuerat. Nec dici certe potest: ꝙ sanctorum communio, ut quidam erronie ualde certabant: per modum glossematis sit appositicium: quando id de substãtia symboli esse, ecclesia semper crediderit. Imo et si adiecticium dixeris: cur non et de alia qualibet parte symboli, id etiam dici possit? Est ergo sanctorum communio sacramentũ altaris: quod in missa pro tota ecclesia offertur: quemadmodum sacerdos in missa celebrans ait: Suscipe sancta trinitas hãc oblationem: quam offero in honore tuo et omnium sanctorum tuorum, pro salute uiuorum, et requie omnium fidelium defunctorum. Ecce, quanta communio, honor deo et sanctis in cælo, salus uiuis in mundo, requies trusis in purgatorio: ut sacramentum altaris sanctorum communionem esse, iam quilibet catholicus certe facile intelligat.

Ioãnis. 6.

Quid est ergo: quod Lutherus ait, frustra aerem uerberans? Si in aliquo, inquit, uno sacramento, nullum est bonum communicabibe alijs: nec in missa erit: cum et ipsa, inquit, non sit nisi sacramentum. Sed cur nunc, quęso, ait Lutherus, missam non nisi sacramentum esse? cũ nos paulo ante ex scripturis patentissimis clare ostẽdimus: eucharistiam non solum sacramentum esse, sed etiam summum totius ecclesiæ sacrificium. Quiescat ergo tandem Lutherus: in hac re contra Christum iam amplius certare: et tot sophismatum pręlijs se ipsum turbare. Sed uereor equidẽ plurimum: ne quod olim Malco, id etiam hodie Luthero cõtingat: ut dextera amputata auricula, nõ dextre audire deinceps queat: factus simulacro surdior.

LVTHERVS.

CVrandum est ante omnia: ut omnibus his sepositis, quæ ad institutionem huius sacramenti primitiuam et simplicem humanis studijs et feruoribus sunt addita: qualia sunt, uestes, ornamenta, cantus, preces, organa, lucernę, et uniuersa illa uisibilium rerum pompa, ad ipsam solam et puram Christi institutionem oculos et animum uertamus: missa enim quanto uicinior et similior est primæ missæ: quam fecit Christus in cœna: tanto christianior: At missa Christi fuit sine ulla uestium, gestuum cantuum, aliarumq; cęremoniarum pompa. &c.

POVELVS.

POSTQVAM Lutherus iam pridem refragatus fuerat, missam esse opus bonum: et deinde sacramentum altaris esse sacrificium: nunc autem non exiguis, uerum magnis

magnis deinceps sudoribus anhelat: ut omnem externū cultum et reuerentiam sacramento altaris penitus furetur et adimat: adeo sua malitia in deterius procedit: a ueritatis et fidei scopo magis magisq́ semper aberrans. Nā curādum est, inquit, ante omnia: ut omnibus his sepositis, qualia sunt, uestes, ornamenta, cantus, organa, preces, lucernę, et uniuersa sensibilium rerum pompa, ad solam Christi institutionem oculos uertamus. Ecce, uirus iam porrigit ueneficus exitiale, si quem offēderet: qui eius poculum uelit. Nam quis est: qui iam ex his Lutheri uerbis palam non uideat? id moliminis in eius animo uersari: ut missa non aliter agatur: q̄ pannosę sine uestibus: uiliter sine ornamentis, surdeculę sine cantu et organis, abiectę sine precibus, obscurę sine lucernis, ut ipse hoc demū modo, in omnium contemptum, excellentissimum altaris sacramentū facile deducat. Seponantur, inquit, a missa preces: seponātur pariter et lucernę: siccine loquitur christianus: cuius uerba Paulus admonet sale esse condita? O hominem perditū et plusq̄ detestabilem, nec christiano nomine dignum. Nam Christus in missa usus est precibus. Quia accipiens panem in manibus, gratias egit: et cum in nocte post cenam sacrificauit: non sine lucernis fuit. Et tamen preces simul et lucernas de missa tolli homo impius omnino iubet: nihil aduertens, q᷑, Numer. 8. ante panes propositionis, lucernas septem accendi deus ipse iusserat. at coram sacramento altaris, pane nostræ salutis, lucernam ullam ardere Lutherana impietas nequaq̄ admittit. Id quod non admodum miror: cum ad tartara, ubi nullæ

Matthęi. 26

Nume 8.

sunt preces: sed blasphemiæ: non lucernę: sed tenebræ: Lutherus festinans properat. Seponantur in missa, inquit Lutherus, etiam uestes et ornamenta. Pensiculate iã quę=so, monstri huius uerba: quæ Christi utiq; honori adeo sunt infesta: ut an alia infestiora esse queant: haud facile quidẽ noris. Nam quid aliud, obsecro, esse poterit: quod Christum spinis coronatum, alba ueste irrisum, funibus ligatum, flagellis cęsum, ac demum, pro humani generis sacrificio, cruci affixũ, expressius usquam effigiet: q̃ unus in missa, quam uocant: sacerdotis ornatus? An non ami=culum, quo caput principio flamen sacer cingit: spineam Christi coronam nobis protinus reducit ad mentem? De=inde noegeum talare, quo sacra faciens se induit: nõne ue=stẽ albã, in qua Christus ab Herode ludibrio est habitus: nobis abunde satis commemorat? tũ præterea sacerdotis manipulus ac stola, haud dubie flagella et funes, quibus nostras ob noxas Christus dire uinctus et cęsus erat: chri=stianis mentibus ingerunt, imprimunt, infigunt. Postre=mo, orarium sacerdotis rubrũ, quod ipse sacrificus in sca=pulis gestat: quid aliud, quęso, effingere queat aptius: q̃ crucis patibulum: quam Christus, totus cruentatus, ad

Esai. 9. fastigiũ Caluarię super homeros sibi baiulabat? ceu Esai=as meminit: Et factus est principatus super humerum eius. Et q̃uis huiusmodi sacerdotum ornamenta Christũ in passione, se deo patri offerentem, sic exprimũt: ut nihil possit expressius: nihilo tamen minus, ait Lutherus: Se=ponantur, inquit, in missa uestes: seponantur ornamen=ta: iniquo plane animo ferens: ut id in missa et sacris aga=

tur:

tur: unde christianus populus ad Christi passiõis memo
riã accendat: adeo ad nocẽdũ neruos tendit: ut oĩno nul=
li sit ambiguum: quin Christi gloriã non tã ęgre patiatur:
q̃ et cõuellere prorsus conetur. Nã olim præceperat deus
hebreis, idq; districtius: ut Aaroni uetusto sacerdoti, qui Exodi. 28.
brutorum sanguinem in synagoga offerebat: uestes et or=
namenta in decorẽ et gloriã radianter ipsi aptarent: ut eo
demum pacto uehementius ad diuinum cultum hebręo=
rũ populus alliceretur. Interim tamen Lutherus nõ uult:
ut sacerdos euangelicus, qui non taurorum aut uitulorũ,
sed Christi sanguinem in ecclesia libat: ullo apparatu san=
ctarum uestium, in sacris eniteat: ne ea res ad ardentiorẽ
Christi cultum christianum populum alacrius excitaret:
sed potius ut rem sacram sacerdos pannosus faciat. Sepo=
nantur in missa etiam, inquit Lutherus, uniuersa sensibi=
lium rerum gloria. Quia quãto, inquit, missa fuerit simi=
lior missę, quã Christus fecit in cœna: tanto est c̃rianior.
at ipsa missa fuit sine cęremoniarũ pompa. Ecce, iam Lu=
therus non uult: ut a ieiunis missa, quam uocant, agatur:
sed ut missa sit bene christiana op9 esse, ut primo cęnetur:
agnus pascalis edat̃: ac postea a cęnato celebret̃: ita enim
Christus fecit: et ideo tãto erit missa christianior, inquit
Lutherus, quanto primæ missę, quã Christus fecit in cœ=
na: fuerat similior. Sic igitur in rebus sanctis ludit Luthe
rus: quomodo uel in prophanis certe ipse non luderet.
Cur tandem Christo sic inuides Luthere: ut illũ in sacra=
mento altaris, humanarum rerum fulgore coli debere ne=
ges? quando Christus, iam admodum infans, noluit ab

illis tribus regibus orientalibus aliter q̃ cum auri gloria et copiosa munerum pompa splendide coli, etiam in stabu=
Psal. 71. lo: sicut scriptum est. Reges tharsis et insulæ munera of= ferent: reges arabũ et saba dona adducent: et tamen pro= hibet Lutherus, christiano sane nõie indignus: ne Chri= stus in sacramento altaris, cum ulla rerum gloria colatur: uel etiam in templo Christo dicato: tametsi, ut se a nobis etiam in sensibilium rerum gloria, uelle honorari et coli
Ioan. 19. Christus ostenderet: corpus suũ mortuũ nõ aliter q̃ pręs stantissimis aromatibus ungi uoluit: nõ nisi preciosa sin=
Matthęi. 27 done inuolui: deniq; non nisi glorioso mausoleo recondi:
Esai. 11. quemadmodum Isaias ipse præcinit. Et erit sepulcrũ eius gloriosum. Et q̃q̃ corpus suum iam etiam mortuum insti= tuerit omnino Christus: ut cum tanto sensibilium rerum splendore et pompa curaretur: displicuit tamen ualde Lu= thero: ut corpus Christi uiuum et gloriosum in sacramẽ= to altaris, cum ullo humanarum rerum honore aut gloria aliq̃n a mortalibus colatur. Proinde aures, quęso, iam sibi erigat Lutherus: (modo felle plenę nõ fuerint) qui si forte factum Christi, quo corpus suum mortuum quoq; tam splẽdide ac etiam gloriose curari uoluerit: pro nihilo dux= erit: audiat tamen ipse uel Dauid ęgregiũ psaltem in Israel: qui Christum in sacramento altaris, cum magna terrena= rum rerum pompa et gloria colendũ esse longe antea ce= cinit. Nam iuxta chaldaicam translationem, quam ter= gum uocant: cuius supra meminimus: cũ propheta Da= uid in psalmo dixisset: Messias erit placentula panis super capita sacerdotum. Ipse idem Dauid continuo eodem lo=

co

co etiam de Christo in sacramento altaris dicit: Et uiuet, inquit, et dabitur ei de auro Arabię: et adorabunt de ipso sẽper. Qz si christiani, de quibus ilico in eodẽ psalmo non tacetur: Et erit nomen eorum honorabile coram illo: dabunt Christo in sacramẽto altaris de auro Arabię: et adorabunt enim semper de ipso auro: quemadmodum in uasis et ornamentis missæ hodie palã fieri et impleri Lutherus uidet: Licet inuitus et graui animo id uiderit. Quare contra Christi factum et prophetæ uaticinium Lutherus iubet. Seponantur in missa, inquit, uestes et ornamenta: seponantur uniuersæ sensibilium rerum pompæ: quando Christum in sacramento altaris, cum summo mũdani honoris splendore, et colendum et uenerandum esse: et Christi facta docent: et prophetarum oracula nusquam non celebrant. Psal. 71.

LVTHERVS.

NON calumniari debet ullus uniuersam ecclesiam: quæ multis ritibus et cęremonijs missam ornauit et ampliauit: sed uolumus, ne quis ceremoniarũ specie falsus, hac multitudine pompę impeditus: simplicitatẽ missæ amittat: et transsubstantiationem quandam colat.

POVELVS.

ECCE anguis iste: tam est ubiq; ac Proteus lubricus: ut in oẽs partes se uoluat: nec tñ interim in quas irrepat cauernas: nouerit: uias fugę sedulo quęrit: nec quibus effugiat: repperit. Qñquidem primo iussit in sacris, omnẽ terreni splendoris honorẽ sacramento altaris tolli. Seponantur in re diuina, inquit, uestes et ornamenta: seponatur

ponatur uniuersa sensibilium rerum pompa. Nunc uero palinodiam cantans, longe aliud mandat: totusq; in diuersum nititur. Quia non debet, inquit, ullus calumniari ecclesiam: quæ multis ritibus et cęremonijs missam ornauit et ampliauit. Vide, primo in missa uestium et ornamẽtorum ritus iussit seponi: at nunc uero prohibet: ne ecclesiæ uidelicet ritus quisquam audeat uel calumniari. Primo in missa cantuum, precum, lucernarum, cęremonias imperauit prorsus amoueri. Iam uero, ceu Penelopes telam texens, ecclesiæ cęremonias in totum uetat, ab ullo aliqñ aspernari: quæ quidem tam contraria: tamq; sibi pugnãtia, hic ab eo pręcipi et iuberi iccirco iam puto: uel ꝙ eorũ quæ antea dixit: nihil meminerit: cum mendacem oporteat esse bene memorem: uel quia illa, ut astutus et callidus est: prius dicta tanq̃ hæretica modo retractat: et denuo in calculum reducit: cupiens ex hoc forsan uideri catholicus. Sed illum longe alium q̃ catholicum esse, et priora et sequentia eius uerba denudant: et ideo, uti in adagio est: sero post bella suppetiæ. Nam cũ simplicem et illiteratum populum in rebus sacris, nihil uel citius, uel ardentius ad religionem inuitat: q̃ exteriores sensibilium rerum pię cęremoniæ: sunt enim laicorum: unde pietatem uberius discant, uolumina et libri, quemadmodũ ad suscitandum internam animi pietatem: imagines in ecclesijs sunt excitabula fidelium: nisi ꝙ potentius mouent cæremoniæ uiuæ, q̃ statuæ mortuę: Lutherus tamen uniuersas in missa ecclesię cęremonias uiuas tollere, totis uiribus molit̃ ac studet. Et causã cur id fecit: homo impostor adiecit:

iecit: ratus se pice posse rē dealbare. Ne populus, inquit, ceremoniarum specie falsus: trāssubstantiationem quādā colat. O uirum sacrilegū et plusq̄ impium, palam Christi honori detrahentem. Quoniam nisi in eucharistia, panis et uini transsubstantiatio foret: multo profecto digniori-bus miraculis in deserto nobilitasset Christus: ut supra e-nodauimus: manna olim panem typicum, q̄ hodie in sa-cramento altaris corpus suum uerum: et ideo panis et ui-ni transsubstantiationem ecclesia non ueneratur, non co-lit: sed spiritus sancti afflatu edocta, ad honorem sacra-menti constanter ac uere credit. Quod et ipsum Lutherus si catholicus et non hæreticus esset: pariter etiā crederet. Ioānis.6.

LVTHERVS.

COncludimus ex his omnibus: ꝙ hi soli digne cōmu-nicant: qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, et erroneas habēt conscientias. Fides enim sola pax cōsci-entię: infidelitas autem sola est turbatio conscientię.

Collatis si-gnis cum se ipso com-mittit.

POVELVS.

PErexiguum nimirum ęstimatum est Luthero: a mino-ribus impietatū malis primo telam ordiri: nisi statim ad maiora ipse cōscendens, pessimarum hæresum subteg-mina et stamina contexeret: Quia superbia eorum domi-ne, qui te oderunt: ascendit semper. Nam primū quidem omnem externam reuerentiam sacramento altaris sudore non modico tentarat adimere. nunc uero, quod multo omnium est impijssimum: animarum candorem, et cun-ctā humanæ cōscientiæ puritatem, ab eucharistia, quoad potest: auferre laborat. Quoniam hi soli, inquit, digne Psal.73.

communicant: qui perturbatas, cõfusas, et erroneas habēt conscientias: et cũ domum perturbatam, confusam, et erroneam nullus prudens ingreditur. ibi uult Lutherus: ut Christus diuersetur. Sed hoc unum modo te ipsum Luthere interrogo: an se ipsum in cœna Christus communicauit? qui si non, tũc profecto alios id facere Christus mãdauit: quod ipse facere noluit: cum scriptum sit: Cœpit Iesus facere et docere. Imo si non cõmunicauerit: nec certe uerum erit: quod de sacramento altaris apud Matthęũ Christus ait. Non bibam amodo, inquit, de hoc genimine uitis: donec bibam illud nouum uobiscum in regno patris mei. Si uero Christus communicauerit: et id quidem digne, quod utiq; uerum est: tunc perturbatam, confusã, et erroneam plane habebat conscientiam: quia tales solũ, inquis Luthere, digne cõmunicant: quod de Christo dicere, imo uel cogitare, quid magis impium, aut blasphemius? Quin et si hoc uerum sit: profecto inter apostolos unus dumtaxat Iudas digne cõmunicauit: quia solus inter eos perturbatam, confusam, et erroneam habebat cõscientiam: cum quo Luthere, ut digne cõmunicare possis: totis neruis curas: ut etiam cum Iuda Scariothis et ipse perturbatam, confusam, et erroneam semper habeas conscientiam. Vnde et quis pacatam, quis perturbatam conscientiam habeat: subinde dilucidans, ais. Fides, inquis, sola pax est conscientiæ: infidelitas autem sola est conscientiæ turbatio. Quamobrem si soli infideles perturbatas habent conscientias: et hi, ut tu contendis: soli digne cõmunicant: quibus perturbatæ sunt conscientiæ: quomodo,

Actuum. 1.

Matthęi. 26

do, rogo, non manifestissime consequens erit: solos infideles digne cõmunicare? hoc autem dicere, quid aliud est: q̃ cum te ipso infestissime pugnare? cum ad rem diuinam digne faciendam paulo ante asseueraueris: aliud prorsus nihil exigi, q̃ fidem: nunc autem tuum cor impium in diuersa raptum, astruit, solos erroneos et infideles digne cõmunicare. hoc autem dicere, quid est: nisi cum te ipso hostile bellum inire: imo hoc dicere, si non est insanire: et inter insanos regnum uendicare: dic mihi, quid est insanire? et inter furiosos principatum tenere? Delirationibus ergo his mi frater Luthere, et insanijs summis, rogo, nunc tandem finem impone: nec postea dicas unq̃, confusas, er erroneas conscientias solas digne communicare: sed recordare potius uerbi illius Paulini, Probet autem se ipsũ homo: et sic de pane illo edat: et de calice bibat. In exodo enim Aaroni et filijs eius mandatum fuerat districtius: ut ad thymiamitis altare offerẽdi gratia uicinare nõ antea au sint: q̃ manus pedesq; munde abluissent: alioqui morerẽtur. Quod si tanta puritas ob thymiamitis oblationem, præsertim in lege adumbratili mosaicis sacerdotibus olim præcepta fuerat: nos iam nouæ legis sacerdotes, quibus uita longe mundior, et syncera magis esse debeat: ad offerendum corpus Christi conscientijs confusis, erroneis, et male purgatis, dominico altari, ut tu consulis: appropinquabimus? Nempe hoc nephas fuerit cogitare, ne dũ cõmittere. Huc accedit et id: quod liber aliquando liuiticus imperarat: ut si quis de semine Aaron haberet maculam: is deo neutiq̃ offerret panes: et certe illi nõ nisi triticei fue-

I.Cor.11.

Exodi.31.

Leuitici.21.

rant. Si ergo ob triticeos imolandos panes sacerdos Aaronicus, tanta iubebatur ornari mundicia: qua fronte, rogo, Luthere suades: ut ad offerendum cęlestis uitæ panē, sacerdotes euangelici cōfusis et erroneis cōscientijs, Christi altari se ingerant? An ignoras legem fuisse umbram futurorum: et omnia, quæ in ea conscripta sunt: ad nostrā doctriuam extitisse scripta? Vt ipsa externa corporis mūdicies, quę ad offerendi officium, iubente deo, priscę legis sacerdotibus fuerat iniuncta: nos probe doceret: qui euangelico fungimur sacerdotio: cum ipsissimū Christi corpus in altari imolamus: q̄ illibata cordis conscientia, q̄ꝙ syncęra mētis puritate intus fulgere debeamus: et nequaq̄ in tanto officio confusis et erroneis conscientijs deturpari obfuscariue. An tibi Luthere forte in mentem non uenerit, illud primi regū: Sacerdotem olim Abimalech, noluisse uel Dauid uel pueris eius, etiam inedia supprema laborantibus, panes impartiri propositionis: nisi eos fuisse mundos sua prius confessione comprobasset? Tu tamen id, quod maxime est execrandum: sacramentum corporis Christi suades: nec apte nec cōuenienter alijs tradi q̄ turbatis, confusis, et erroneis conscientijs: eo digniores tanto sacramento illas asserens, quo turbatiores ac magis erroneas: ignorās, ꝙ in pace factus est locus eius. Nec aduertis Paulum: qui eos haud dubie corporis et sanguinis Christi cū Iuda Scariotis oīno reos ostendit: qui conscientię suę maculas antea non eluunt: q̄ accipere tam uenerandum sacramentum præsumant: ait enim: Quicumqꝫ mādducauerit panem: aut biberit calicem domini indigne: reus

I. regum. 21.

Psal. 75.

I. Cor. 11.

reus erit corporis et sanguinis domini. Vides igitur iam: si tamen quicq̃ uideris: te non tam cum Paulo et scriptu=ris, q̃ etiam cum teipso hostiliter committere. Et iccirco in hoc secundo libro ista aduersus te disseruisse hodie suf=ficiat. E quibus olfacere cito liceat reliqua: quæ scribis: q̃ teterrime olleant. In tertio autem libro, tam et si multa er=rata passim disseminaueris: quę euãgelicę ueritati et chri=stianę fidei uehementer aduersantur: tamen in illis eo mi=nus nobis laborandum erit: quo assidue magis nunc com pedes facias: quibus tibi ipsi pedes obstringas: atq; arma quoq; ęgregie cudis: quibus hęreses tuę, facile iugulẽtur et pereant: Proinde Lutherus sophista noster argutulus, quid deinceps de Baptismo (uerius dixerim: contra bap=tismum) disceptauerit: pedicis se ipsum inuoluẽs, iam iam in tertio libro audiamus.

EXPLICITVS EST LIBER SECVNDVS DE VERITATE SACRAMEN=TI ALTARIS.

SEQVITVR LIBER TERTIVS DE VE=RO SENARIO RELIQVORVM SACRAMENTORVM.

LVTHERVS.

BENEDICTVS deus et pater domini nr̃i Iesu Christi, qui secundũ diuitias misericordię suæ, saltẽ hoc unũ sacramẽtũ seruauit in eccle=sia illibatũ et incontaminatũ a cõstitutionib⁹

hominum liberumq; fecit omnibus gentibus omnium hominum ordinibus: nec passus est et ipsum teterrimis quęstibus impijssimis superstitionum portentis opprimi.

POVELVS.

MIHI DIV meditanti, quid cum Luthero, qui, ut sacramenta pessundet: scripturas hinc inde pro sua libidine torquēs conspurcat: potissimum faciundum uideretur: non potuit certe aliud uel conducibilius uel ad rē aptius uenire in mentem: q̄ ut primū sacras literas, quas in locis haud raris, adulterino sensui prostituit: ad pudicam ueritatis intelligentiam denuo reuocarem: ac deinde sua sibi ita obijcerem: quo cito ab omnibus possit intelligi: non modo illum cum se ipso nusquā constare: sed etiā eius argutias tam contrario certamine inter se confligere: ut eius uideatur ingeniū in turbine rotari. Adeo est homo secū in oībus pugnax: qđ cęlesti numine ferēte suppetias in cōsequētibus copiose aperiā. sed q̄ religiosula mēte iam sua uerba Lutherus ordit: in primis hic, quęso, aduertite. Benedictus, inquit, pater domini nr̄i Iesu Christi. Ecce, precor, q̄ callide pellem Lutherus induit agninam: ut lupū in ecclesia agat: Ecce, quo mūdius ab eor es agi uideatur: q̄ sanctulum habet ipse suæ orationis initium: quia uirus porrigit nemo, nisi melle tinctum. Benedictus, inquit, pater domini nostri Iesu Christi. Homo personatæ pietatis et religionis fucatæ, deum uocat patrem: cuius ecclesiam non uult habere matrem: imo deum patrem benedicit: cuius filio contradicit. quasi conciliare sibi possit patrem offenso filio: aut placere patri, contēpta matre. Nec causam,

causam, cur deum patrem benedixit: frater deuotulus siluit. Quia saltem, inquit, hoc unum sacramentum, seruauit in ecclesia illibatum et incontaminatum a constitutionibus hominum, et omnibus gentibus liberum. Porro si hoc unum baptismi sacramentum Luthere seruauit deus pater liberum a constitutionibus hominum: cur in ipso huius impijssimi codicelli exordio dixisti? Tantũ tria sunt sacramenta pro tempore ponenda: Baptismus, pœnitentia, et panis, et hæc omnia per Romanam curiam in miserabilem captiuitatem ducta. Agnosce uel nũc chirographum tuum. Nam si ista omnia sacramenta tria, Romana curia prorsus duxerit in miserabilem captiuitatem: ut in ipso initio contendisti: quo, quęso, ore nunc audes dicere, deum patrem seruasse baptismum a constitutionibus hominum liberum: quando te clamante, cum pœnitentia et pane (ita enim loqueris) etiam baptismum homines Romani penitus relegarunt captiuum. Itaq; baptismum, quem paulo ante certasti, per Romanam curiam deplorãdæ seruituti fuisse omnino subiugatum: nunc hoc in loco asseris a constitutionibus penitus liberum: unum eundẽq; baptismum captiuum simul et liberum esse cõstituens. Sed nihil miri est, te tecum hinc inde passim conflictare: Matthęi. 26
qui ferme ubilibet cum euangelio certas. Quoniam tametsi Christus promiserat portas inferi, aduersus ecclesiã suã, nunq̃ pręualituras: tu tñ contra depugnas: impijssimos hoies inferorum milites Christi ecclesiã usq; adeo euicisse: ut cunctis sublatis sacramentis, deflendæ captiuitatis iugo iam ipsa prematur. Nec eo minus nihil te pudet iam contendere,

cōtendere, unū baptismum adhuc manere incontaminatum. Sed cur rogo baptismum solum incontaminatū superesse iam asseris homo laruatæ sanctimonię: Nisi ut cętera omnia sacramenta tandem nolis aliud esse nisi baptismum? uti ipse postea in dolo suades. Et tamen demū nec ipsum baptismum, sed pro omnibus sacramentis solam fidem restare uelis. Ais enim: Tantum ne uilem habeas fidem: cæteris omnibus si carueris, saluaberis. Sed quid est obsecro Luthere: ꝙ sic fidei omnia tribuis: et charitatem,
Gal. 5. quæ est finis pręcepti, et fructus spiritus: Poliphęmus ipse non uides? præsertim cū Paulus ait: Si fidem omnem habuero: ita ut montes transferā: charitatē autē non habuero: nihil sum. Qui autem omnem fidem dixit: nullā excepit.
1. regū. 11. pit. Et tamen ista Luthere ne uideas: Naas tibi dexterū confodit oculum: qui ita fidem prædicas: ut charitatem una cum reliquis sacramentis penitus extinguas. De quo postea opulentius.

LVTHERVS.

VERVM ubi uirturem baptismi in paruulis nō potuit Sathan extinguere: præualuit tamen: ut in adultis extingueret: ut iam fere nemo sit: qui sese baptizatū recordetur: ne dum glorietur: tot repertis alijs uijs remittendorum peccatorum et in cælum ueniendi. Prebuit his opinionibus occasionem uerbum illud periculosum diui Hieronymi siue male positum, siue male intellectum, quo poenitentiam appellat: secundum post naufragium tabulam: quasi baptismus non sit poenitentia: baptimū enim in quo stat prima gloria conscientiæ nostræ impij homines

nes funditus extingunt: ne dum captiuant.

POVELVS.

INtuemini iam, obſecro, q̃ inclyte de palma iſte noſter pręliaculus modo cum ſe ipſo pugnat. Vbi, inquit, uirtutem baptiſmi in paruulis non potuit Sathan extinguere: præualuit tamen: ut in omnibus adultis extingueret. Ecce, cum iam pridem aſtruxiſſet baptiſmum eſſe in eccleſia ſacramentum illibatum: nunc illum dicit eſſe omnino extinctum: et ubi antea aſſeruiſſet baptiſmum eſſe ſacramentum incontaminatum: modo affirmat eum adeo extinctum: ut nemo ſe recordetur baptizatum. Imo et cum iamdudum deo patri gratias egiſſet: ꝙ hoc ſacramentum ſeruaſſet omnibus gentibus omniumqꝫ hominum ordinibus liberum: mox hic paulo poſt, ubi Hieronymum carpit: ꝙ pœnitentiam ſecundam poſt naufragium tabulam poſuerat: baptiſmum penitus captiũu eſſe contendit. Ait enim ſic. Baptiſmum, inquit, in quo ſtat prima gloria cõſcientiæ noſtrę impij homines funditus extingunt: ne dũ captiuant. Itaqꝫ unum idemqꝫ baptiſmi ſacramentum aſſerit ſimul et illibatum eſſe et extinctum, incontamitatũ, et tamẽ per obliuionem ab hominum memoria deterſum, omnibus gentibus liberum: et tamen ab impijs hominibus prorſus eſſe captiuatum: tanq̃ collatis ſignis cũ ſe ipſo acertime committens: ut iſtum hominem non hic modo, ſed paſſim per totum opus ſuum (ſi tamen operis nomen meretur: qđ ſeſe ubiqꝫ exterminat) tã pugnantia tãqꝫ ſibi contraria ſcribere uehementer ſane puderet. Nã quid qñqꝫ turpius fœdumue maius cuipiam euenire poterit: q̃

res suas ita tractare: ut nulla pars alteri cohęreat: imo quęlibet cum alia pręlietur ac dimicet? Sed uetus est adagium et quidem uero dictum: A nullo citius q̃ a se ipso semper confundi mendacium. Sed ait Lutherus: Pręualuit Sathã in adultis: ut Baptismum adeo extingueret: ut nemo fere iam sese recordetur baptizatum: tot, inquit, repertis uijs remittendorum peccatorum et ueniendi ad cęlum. Istos, quęso, expende sermones: et prudens cõspice: quã faciem præ se ferũt hæc uerba. Nempe nullam aliam esse uiam remittendi peccatum, nullum iter ueniendi ad cælum, nisi solum per baptismum: prębuit his opinionibus, inquit, occasionem uerbũ illud periculosum diui Hieronymi, siue male positum, siue male intellectum: quo pœnitentiã appellat, secundam post naufragium tabulam. Si enim, ut ait Lutherus: in hoc culpa fuerit: ꝙ uerbum diui Hieronymi sit ab imperitis male intellectum: tunc per doctos rectam quidem ualet habere intelligentiam. Nõ est ergo hoc male positum: quod ab eruditis sanum obtinuit sensum. Rursus si uerbum diui Hieronymi bonum nancisci queat intellectum: cur ipse, quęso, qui tanq̃ alter Apollo omnia se scire ostentat: uerum intellectum eius nobis nõ reserauit? cur fores nõ aperuit: per quas ad ueri sensus cognitionem introeamus? nisi ꝙ ipse e numero eorum sit: de quibus Christus ait: Vę uobis, qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis: et eos, qui introibant: prohibuistis. Nam si Christus post primam lotionem corporis in baptismo, uoluit etiam et secundam esse, uidelicet pedum: dicens: Qui lotus est: nõ indiget: nisi ut pedes lauat: hoc

Lucę. 11.

est

est affectus. Quid in causa est: ꝙ post impurationem fidei baptismalis per peccatum ipse abnuit pœnitentiã esse secundam tabulam post naufragium: cum Christus non tam primam q̃ etiam et secundam lotionem posuerit? nisi ꝙ peccatorum fluctibus naufragantes magis uelit ipse deperire: q̃ per pœnitentiæ tabulam ad salutis portum appellere. Quin et miror: cur Hieronymum Lutherus diuũ appellauit: præsertim cum hic modo affirmet eum in pœnitentia et sacramentis ecclesiæ: id quod non aliud q̃ diabolicum est: manifestius errare. nisi forte, illud quod uerũ esse puto: illum ideo diuum uocat blandiendo: ut postea audacius feriat insectãdo: adeo est homo callidus, et Hienymi in cũctis insidiator. Quis igit huic uiro omni peste peiori parcendum esse aliqnando putabit? quãdo ipse nec hominibus in mundo, nec superis in cælo unq̃ pepercerit. Nam ut et de diuo Bernardo, de Francisco, de Dominico, ac eorum similibus, quos tanq̃ superstitiosos religionum inuentores redarguit: modo taceamus. hic ex diuorũ contumelijs laudẽ sibi aucupari conatus, et bonam christianę doctrinę partem in conuitijs locatam existimans. Primo Hieronymum maladictis percutit: falsitatis et mendacij eum arguens: ꝙ pœnitentiam secundam post naufragiũ tabulam posuerat. ac deinde Dionysium apostolorũ contemporaneum et Pauli discipulum, immensis probris insectatur, insectatumq; rugato naso eludit. Primo, ꝙ ipse in cælesti Hierarchia de angelis: ac postea, ꝙ in ecclesiastica, de sacramentis scripserat: perniciosissimum illũ uocans: nihil ueritus homo fuligine tetrior, imo omni qua-

Ioãnis. 13.

Turgidus diuorum cõtemptor.

drupede peior integerrimi uiri denigrare candorem. Nec mihi quidem modo admirationi magnę fuerit: ꝗ Hieronymum simul et Dionysium momus iste aspernatur et carpit: qui Hus mirum in modum ueneratur (dignū quippe patella operculum) atq; vviclefum quoq; ipse deosculatur et colit: quia lupus lupo, et serpens serpenti charus. Sed nec apostolum quidem Iacobum permisit abire illęsum: cuius epistolam spernit: et eam apostolico spiritu indignā esse contendit: nec tn̄ tanti conuitij causam ullam ipse attulerit. et quod multo omnium intollerabilius est uisum: a probris Pauli, quem uenerari et colere debuerat: abstinere omnino renuit: sed, tanq̄ homo exitiū suū ultro quęrens, ait: Paulus ad Ephesios. 5. Verba dei, inquit Lutherus, Gen. 2. de matrimonio dicta proprio spiritu ad Christum trahit. quasi Paulus, qui ait: An experimentū quęritis eius: qui in me loquit̄ Christus: uerba dei nō spiritu Christi, sed proprio spiritu tractaret: atq; ad suam mentem ea male pelliceret. et ideo iam sudem ab oculis tergat: qui hunc hominem christianę fidei hostē esse non uideat. Nam erectus modo in superbię culmine tanta maladicta in ecclesiā et in diuos, certatim ipse babylonista coniecit: tot est plasphemias in superos iaculatus: ut profecto nesciā: an aliquando in eos maiores fulminabit etiam ipse Antichristus: cum uenerit. Et tamen dum Hieronymū carpit: se ipsum confundit. Nam baptismum et poenitentiam cum duo esse sacramenta seorsum distincta ipse superius posuerat: hic nihilominus baptismū esse poenitentiā haud obscure affirmat. Dicit enim male positū ab Hieronymo:

Hus luthero Cerber⁹ Plutoni charus.

Maladicentia Lutheri in superos.

nymo: pœnitentiam esse secundam tabulam post naufra=
gium. quasi, inquit, baptismus non esset pęnitentia: bap
tismũ his uerbis pœnitentiã esse asserens. At postea qui=
dem sacramentum altaris pariter et pœnitentiæ utrumq;
prorsus e medio rapiens, ait. Quicquid in hac uita, inquit,
gerimus: quod ad mortificationem carnis, uel uiuificatio=
nem spiritus ualet: ad sacramentũ baptismi pertinet. Hoc
quidem si uerum sit: ubi est, rogo, pœnitentia: quæ car=
nem mortificat? Vbi eucharistia, ubi panis uitæ, qui spi= Lutherus prius texta cũ Penelo=pe retexit.
ritum uiuificat? cum solum baptisma ista omnia efficiat.
Vbi sunt illa duo sacramenta pœnitentiæ et altaris: quæ
ab initio ipse posuerat? Nempe utrunq; ipse modo ab ec=
clesia procul relegauit: et pro illis baptismum Christianis
abunde sufficere affirmat: Quia quicquid in hac uita, in=
quit, ad mortificationem carnis et uiuificationem spiritus
ualet: ad baptismũ pertinet. Quod utiq; pristinę suę asser=
tioni, non solum omni ex parte est apprime contrariũ: sed
etiam Christianę fidei aduersatissimũ. Et tamen tandem,
nec ipsum baptismũ, quem iam pridem tanti fecerat: uo=
luit Lutherus incolumem esse uel saluũ. Nam paulo post
ait. Baptismũ, inquit, neminem iustificat: nec ulli ꝓdest:
sed fides in uerbum diuinæ promissionis, cui additur bap=
tismus. Qꝫ si baptismus nulli ꝓdest: sed sola fides in uer=
bum diuinę promissionis iustificat: quisnam est: qui non
palam uidet: quod quicquid in hac uita ad salutem geriť:
ad solam fidem spectare: quod ipse antea dixit: ad solum
baptismum pertinere? Ecce mendacium, q̃ facile se ipsum
prodit: Quia stultus ceditur labijs suis. Male ergo uerba Prouer. 10.

ſua faber iſte ad quadrum redigeret: qui tot in rebus undique ſibi ipſi contradixerit. Nec hoc quidem rarum, ſed paſſim apud Lutherum aſſuetũ eſt et familiare: ut proxima uicinis non quadrent: nec ultima primis conſentiant: ſed pars quælibet cum alia digladietur et certet: ut nõ uera ſed falſa eſſe, quæ ſcribit: ipſa pugna manifeſte oſtendat. Proinde neceſſe erit: ut cũ ſe ipſo ſemper pugnans, a ſe ipſo etiam expugnatus, ſuccumbat.

LVTHERVS.

PRIMVM itaq; in baptiſmo obſeruanda eſt diuina promiſſio: quæ dicit: Qui crediderit: et batizatus fuerit: ſaluus erit. Quæ promiſſio præferenda eſt incomparabiliter uniuerſis pompis operum, uotorum, religionũ, et quicquid eſt humanitus introductum: quæ ſic obſeruãda eſt: ut fidem exerceamus in ea: prorſus nõ dubitantes, nos eſſe ſaluos, poſtq̃ ſumus baptizati: ſicut dicit Paulus ſecundo ad Timotheũ ſecundo. Si non credidimus: ille fidelis permanet: ſe ipſum negare non poteſt: hæc inquam ueritas dei eum ſeruabit. Ita ut ſi cætera omnia ruant: hęc tamen credita non derelinquet. Ita uides: q̃ diues ſit homo chriſtianus ſiue baptizatus: qui etiam uolens non poteſt perdere ſalutem ſuam: niſi noluerit credere. Nulla enim peccata poſſunt eum damnare: niſi ſola incredulitas.

Porrectum uirus fauo delinit

Firmaſti tibi ſermonẽ nequam

Syncęrum Pauli ſenſũ adulterat.

nequiſſimũ impietatis excitabulum

POVELVS.

ISTE nimirum error, quem iam Lutherus de fide concepit: alios multos, et eos quidem impiiſſimos, poſtea illi errores peperit: uidelicet nec baptiſmũ, nec euchariſtiã, nec unum aliquod aliorũ ſacramentorũ ad ſalutem exigi:

ſed

ſed ſola fide homines ſaluari: non contritionem, nõ confeſſionẽ, non elemoſinas, non ieiunia, nõ orationes, neq; alia quęuis bona opera, ad ęternam uitam eſſe neceſſaria: nulla peccata, nulla ſcelera etiam flagitioſiſſima damnare poſſe hominem credentem: et alia multa id genus horrenda: quæ ſuis locis ſequentia enucleabunt: adeo eſt facile: ut ex uno errore alij innumeri cito adoleſcãt. Et ideo quis uſquã gentium, etiam uel impijſſimorum hominũ, aliquãdo fuit: qui dei timorem a mortalium oculis magis auferre unq̃ ſtuduit: q̃ hoc in loco modo conatur unus Lutherus? Qui q̃uis Paulus ait: Nec fornicarij, nec adulteri, regnum dei poſſidebunt: tamen ſceleratiſſimis quibuſq; regnum cælorũ libere concedit Lutherus: ut illic facile ingrediatur faſcinoroſus quilibet, ſpurcus, obſcœnus, adulter, immũdus, auarus, proditor, ſacrilegus, paricida, meritrix, uenefica, matris pellex, et quiſquis his poſſit excogitari deterior: ſecure uiuat: agat, quod uelit: pauperes premat: furetur: et rapiat: fornicetur: adulteret: imo ſacra prophanet: parentes enecet: atq; ad omnia perpetrãda ſcelera libere habenas laxet. Quippe, authore Luthero, (qui fidem non aliud q̃ impietatis irritabulum facit) damnari non poterit: niſi nolit credere. Vnde ſi omnes hi flagitioſi, indemnes euadent ſimul et impunes: et non ob aliud niſi quia credunt: ubi tunc eſt Luthere iuſtus dñs et iuſticias dilexit: æquitatem uidit uultus eius? Quinetiam ubi eſt: quod Dauid in pſalmo alibi ait. Vultus domini ſuper facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorũ? Quando ſpurciſſimis quibuſq;, modo dumtaxat credant: concedis

I. Cor. 6.

Cis nequitię ſeiariũ miniſtrat Lutherus.

Sic fidẽ extollit: ut iuſticiã premat.

Pſal. 10.

Pſal. 33.

policeris Luthere astra polorum? imo asserrere, baptizatũ non posse damnari: nisi nolit credere: quid, quęso, aliud est: q̃ manifestariũ iouianistã esse? qui olim contendebat, hominẽ susceptа semel in baptismo fide, nequire amplius capitaliter peccare. Quin et hoc etiam subolere uideatur, quiddam omni Manacheo pestilentius, nempe deum nõ esse ullius nequitiæ uindicem: uerũ sceleris et peccati omnino fautorem. Nam Manacheus, ne deũ peccati authorem faceret: duo statuit ipse principia: alterũ bonum, alterum uero malum: ut quemadmodum cacadęmonẽ omnium malorum: ita et deum cunctorum bonorũ, ipse caput constitũerat et initium. Vt deus bona digne muneraret: diabolus autem mala sęuere puniret. Lutherus autem dum sceleratissimis quibusq;, modo fides illis non defuerit: sydereas sedes tribuerit: deum plane humanis nequitijs fauere, et eas inultas relinquere, qđ Manacheus horruit: nequaq̃ non manifeste concedit. Proinde in adultis nec fides, nec baptismus humanæ salutis iter absoluunt: uerum pietatis opera a fide in baptismo profecta, id totũ efficiunt. Ita enim scriptũ est: Implecio legis est charitas. Nec quidem in supremo illo et formidando iudicio, ubi christianorum uita premianda tandem fuerit: ulla aliqñ futura est ibi interrogatio de baptismo, de fide: sed authore Christo dũtaxat de charitate, de misericordia in proximum et pietate: Esuriui: et dedistis mihi manducare. sitiui: et dedistis mihi bibere. &c. Ideo illis dicetur: Percipite regnum: quod paratum est uobis ab origine mundi. ut iã Luthero, nisi hallucinetur: pro certo constiterit: instruẽte nos

Matthęi. 24

te nos

te nos Christo, in illa metuenda iudicij die, quam utinam Lutherus metueret: et nequaq̃ temneret: non nostrã credulitatem, sed charitatem esse coronandam: non fidẽ, sed misericordię et pietatis opera, quæ in fide geruntur: fore cęlesti imperio atq; stellatis sedibus muneranda. Vnde et Apocalipsis.20. scriptum est. Mors et infernum dederunt mortuos suos: et iudicatum est secundum opera eorũ: nõ autem dixit, secundum fidem eorum. Rursus et Christus ait. Omnis arbor, quę nõ bonos fructus profert: abscidetur: et in ignem mittetur. Quamobrem si ut Christus ait: christianus etiam bene credens, quia fructum bonorũ operum non profert: abscidetur de orto gloriæ: et mittetur in ignem gehenne atq; ardebit: flagitiosus et peccator ubi erunt? Nempe, inquit Christus, Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium. Videtis ergo, instructore Christo, non q̃ diues, sed q̃ egenus, inops, et pauper sit homo christianus, etiam bene et recte credens: nisi etiam ipse bene et recte egerit: operaq; bona perfecerit: alioqui, teste Christo, tam inops et miser erit: q; abscidetur: et in ignem mittetur. Malis ergo operibus debetur gehenna: bonis autem uita æterna: quia sicut peccata fugiendo uitatur supplicium: ita bene operãdo peruenitur ad regnum. Oculis ergo tam luscum puto neminem: qui hanc hæresim, quam uniuersa, et ueteris et noui testamenti, scriptura undequaq; confũdit: omnium mortalium generi nocentissimã esse, non facile conspiciat. nec eo secius tãtam hęresis nequitiam suadet Lutherus ex Christi sermonibus: qui tametsi integri sũt atq; uerissimi:

Apoca.20.

Matthęi.3

Matthęi.25

ex illis tamen Lutherus errorem sibi suxit pessimum: quia palato male sano, sana nunq̃ sane sapiunt. Christus enim promisit: dicens: Qui crediderit: et baptizatus fuerit: saluus erit. Verba autem ista Lutherus ad suam sententiam pellexit perperam: sed quia Christi sunt: iccirco nos modo nō impium Lutherum, sed seruatorem nostrum Christū, alio in loco uerba ista perspicue declarantem, attente humiliterq; audiamus: quia Lutherus, ne audiat: sera sibi aures clausit. Christus enim in euangelio, nō tam suis discipulis q̃ cūctis pręceperat christianis. Sint lūbi uestri pręcincti, et lucernæ ardentes in manibus uestris: et uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quādo reuertatur a nuptijs. Ecce citra fidem et baptismū tria, tanq̃ ad salutem omnino necessaria Christianum hominem seruare Christus districte mādauit. Primo castitatem in corpore, sint lūbi uestri pręcincti. Deinde ardorem charitatis in operatione, ibi: et lucernæ ardentes in manibus uestris. Postremo rectitudinem uoluntatis in intentione: ut oia christianorū opera propter deū fiant, ibi: et uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quādo reuertat̃ a nuptijs. Fides ergo, quę christianū saluat: authore Christo, non est fides incōpta, et nuda sine bonis operibus ociosa: ut contendit Lutherus: in hoc plane vviclefo ipse multo deterior: cū ipsa sit in dęmonibus: quia dęmones credunt et contremescūt. Sed fides, instructore Christo, perducēs ad regnum, est fides formata charitate operosa, et gubernata intentione recta: et ideo solus ille, qui tali fide instructus crediderit: et baptizatus fuerit: saluus erit.

Marci. 16.
Lucę. 12.

erit. Ex quo ſiquidē nullū, uti reor, chriſtianū iam fugere poteſt: q̄ prohane, q̄q; ſiniſtre, ad ſuā fulciendā hęreſim, uerba Chriſti Lutherus deflexit: atq;, ut ſuam deniq; excogitatę hæreſis impietatem potentius defendat: diuinā ſubinde promiſſionem (quam auditores obtundendo cuculus ipſe centies inculcat) importune nobis ingerit: affirmans deum cunctis credentibus ęternam ſalutem promiſiſſe: nec ullis hominum peccatis, eum eſſe aliquando mutabilem, ſicut inquit, Paulus ait ſecunda ad Timotheū. 2. Si non credidimus: ille fidelis permanet: negare ſe ipſum non poteſt. O deum immortalem, quid eſt: quod homo iſte nō auſit? qui uerba Chriſti et Pauli, ac uniuerſas ſcripturas pro ſua libidine, ad omnia flectit et torquet. Num Ambroſio, nū Auguſtino, nū Hieronymo, nū aliorū catholicorum ulli, fuerat iſtorum Pauli uerborum talis aliquādo intelligentia? Vnde ergo Luthero acies hodie tam acuta? unde illi lumina tam perſpicacia? unde ei tam lincei oculi? ut id in Paulo modo ſolus conſpiciat: quod tam antiqua et celebris doctorum frequētia antea nunq̄ uiderit? Nōne ipſe cęcutit, et oculis caligans atq; perculſus acriſia, dum umbram, uel potius nihil ſpectat: magna ſe uidere putat? Nempe qui hoc in Paulo uidet: quod iſte nūc ſe uidere exiſtimat: aut certe uidiſſe modo ſe ſimilat: nunq̄ in Paulo aliquid bene uidiſſe ſe noſcat. Nam quis eſt: qui in Paulinis epiſtolis uel mediocriter exercitatus euaſit: et nō facile intelligit Paulum, eo capite duo præcipue cōmoliri? Nam primo laborat, non ſolum Timotheum, ſed etiā in Timotheo, cæteros chriſtianos, ad bona opera inuitare,

1. Tim. 2.

q̄ adulterinū Pauli ſeſum Lutherus peperit.

Hallucinatio Lutheri

per ſpem premij : et deinde a malefactis terrere auocareq́ per timorem pœnæ. Christus in euangelio apud Ioannē, mortalibus eſt ſpecialiter duo policitus: uidelicet pro operibus bonis gloriam perpetuo manſuram : et pro malefactis pœnam nunq̄ terminandam : Ait enim : Procedēt hi, qui bona egerunt : in reſurrectionem uitæ : qui uero mala egerunt : in reſurrectionem iudicij . Ecce, modo nō dixit : neq́ promiſit Chriſtus : q́ procedēt hi, qui bona crediderunt : in reſurrectionē uitæ : ſicuti modo Lutherus nequiter contendit : ſed procedent hi, qui bona egerunt in reſurrectionem uitæ : qui uero mala fecerunt in reſurrectronem iudicij . Audiſtis iam Chriſtum cunctis malefactoribus promittentem ſupplicium æternū. Et ideo ait Paulus : Si non credidimus Chriſto promittenti malis operarijs mortem æternam : quemadmodum reuera Lutherus non credit : faſcinoroſiſſimo cuiq́ ſi tantum credat, cæleſtes ſedes largiens : nihilominus Chriſtus tamē in ſua promiſſione, inquit Paulus, fidelis permanet : et ſe ipſum negare nō poteſt : quin cunctos malefactores, qualitercunq́ credant : mulctabit ſupplicio ęterno. Videtis ergo hæc uerba Pauli totum aduerſus Lutherum pugnare : imo uidetis Vriam iſtū : qui damnationis ſuę literas in ſinu ſuo portat : q̄ impie, et certe ſibi ipſi q̄ incaute ſcripturas ſacras tractat : qn̄ uerba Chriſti et Pauli, iam ab eo in medium prodita, cōtra eū infeſte et palam dimicant : atq́ manifeſtiſſime quoq́ illum confundunt, premunt, damnant : non autem (ut ipſe iactitat) propugnant. Demiror igitur plurimū: quomodo ex uerbis Chriſti et Pauli tā dextris, ſenſum ſibi ex-

Ioan. 5.

2. regū. 11.

uxit

uxit Lutherus tam ſiniſtrum: niſi φ aranea uirus ſibi congerit ex roſa: et uenenum format ex uiola: quia, Syncærũ niſi uas quodcũqꝫ infundis aceſcit. Proinde ego ubi iſtas Lutheri ridiculas pugnas iam diligentius intueor: uideor mihi eius ſpectum uidere: ut ſit ipſe hodie talis apud chriſtianos: qualem ſibi mortales olim finxere Chimęrã, quę ſicut belua habetur omnino exitialis, in cunctis partibus ubilibet ſibi ipſi diſſentiens: ita plane Lutherus in his, quę modo ſcribit: ſibi ipſi nullibi quadrat: uerum undecumqꝫ eius uerba inter ſe uſqꝫ adeo diſcordant: ut ne tenebrarum quidem cum luce infeſtius poterit eſſe diſſidium: et iccirco non grandis ſiquidem fuerit prouincia, illum confundere: qui omni propemodum in loco ſe ipſum confundit.

Qꝫ ſit cõtẽnenda Lutheri pugna

LVTHERVS.

ERROR eſt, ſacracramenta nouę legis a ſacramentis ueteris legis penes efficaciam ſignificationis differre: cum utraqꝫ æqualiter ſignificabant: Idem enim deus, qui nunc nos ſaluat per baptiſmum et panem: ſaluauit Abel per ſacrificium, Noe per archam, Abraham per circumciſionem, et alios omnes per ſua ſigna. Nihil itaqꝫ differũt ueteris et nouę legis ſacramenta: modo ueterem legem appelles, quicquid in patriarchis et alijs patribus operatus eſt deus tempore legis. Sed prouerbium illud eſt, non ſacramentum, ſed fides ſacramenti iuſtificat. Sic circumciſio non iuſtificauit Abraham, ſed fides in pomiſſione: cui iũcta eſt circumciſio: Sacrificium Abel non iuſtificauit: ſed fides, quam externũ ſacrificium figurabat: Ita baptiſmus neminem iuſtificat: nec ulli prodeſt: ſed fides in uerbum

Erroribus et pugnis paſcitur.

Qꝫ ſtrenuo marte cum ſe ipſo congreditur.

promiſſionis, cui additur baptiſmus.

POVELVS.

ICCIRCO Lutherus (ut opiuor) inter nouę et ueteris legis ſacramenta diſcrepāciam nullam prorſus eſſe iam licitatur: quia uetuſtū a nouo teſtamento in nullo diſtare ipſe forte credit: uel ſi inter ueterem et nouam legem tantum intereſſe arbitretur, ut Paulus ait, quātum inter umbram et lucem, noctem et diem diuorciū fuerit. Quomodo, rogo, inter ueteris et nouę legis ſacramenta diſcrimen nullum eſſe iam temere decertat? Quando illa duo teſtamenta, tātopere inter ſe diſcrepare concedit? Si enim tam delirus aut amens fuerat nemo, qui ſacramenta ueteris legis aliquando negauit: ſacramentorum nouæ legis typos et figuras extitiſſe: nec quisq̄ typum rei aut figuram figurato unq̄ ęquauit. Quis eſt, precor, quod Lutherus modo ſic deſipit: ut ſacramenta uouæ legis ſacramentis ueteris legis, in nullo præire pertinaciter dimicat? Quādo rem typo figuratum figura (etiam eo non negante) q̄ longiſſime prętare manifeſte cōſtet? Rurſus q̄uis in ſacramentis utiq; ueteris legis ſicuti in ſacramento circūciſionis, quod omnium ſacramentorum apud priſcæ legis patres maximum exiſtimabatur: promiſſio diuina fuerat. Nihilominus promiſſio tamen illa nequaq̄ fuit uel cęleſtis ręgni uel uitæ ęternæ. Nam illa in nouo ſolum teſtamento primo palam effulſit, Matthęi.3. Agite pęnitentiam; appropinquabit enim regnū cælorum. Et rurſus. Qui crediderit: et baptizatus fuerit: ſaluus erit. Et Chriſtus de ſacramento altaris promiſit: dicens: Qui manducat hunc panem: uiuet

Non diſcriminat legē nouam a uetere.

Spōſo legis antiquæ.

Matthęi.3.

Ioānis.6.

uet in æternum. Id genus autem seu cęlestis regni, seu uitę ęternę pollicitatio alias haud dubie in ueteri lege nunq̃ audita in aperto extiterat. Nam in lege uetusta promittebatur regnum terrenum, non cæleste: uita temporaria, nõ autem æterna. Aetati nanq; paruulę, ut Paulus memorat: cõmodius pusilla pręstãtur: prouectiori autem ęuo grandiora promittuntur: quia nimirum lex uetus cum hebręorum populo pedagogus fuerat: eos aptius terrena policẽdo alebat: ut æternorũ promissio postea grandiori populo, nempe christiano seruaretur. Nã in his, quæ circa humanę salutis curam agit deus: omnia ordine quodam sensim facit: ut promissio terrena cælestem, temporaria ęternam præueniret. quod uel ex eo uidere liceat. Nam Gen. 15. Regnum terrę Chanaan policitus est deus Abrahę et semini eius futuro, quod lõge postea regi Dauid innouãs, factam Abrahæ antea promissionem, etiam iuramẽto illi firmauit: dicens: Iurauit dominus Dauid ueritam: et nõ frustrabitur eum de fructu uentris tui ponam super sedẽ tuam. Ecce, q̃uis propheta Dauid, uir utiq; talis et tantus fuerat: ut nulli, uel uatũ uel regũ, fuerat ipse aliquãdo secundus: tamen citra tribunal mundanum, et diadema terrenum nihil cæleste, nihil æternum, uel sibi, uel suis, illic in propatulo promisit deus: nisi q̃ dũtaxat fuerat sibi policitus: De fructu uentris tui ponã super sedem tuam. cęlestium enim et æternorũ promissio, in aliud tempus protelata, soli Christo reseruata fuit: qui interim hebręorum populi fidem, corporalium rerum promissione educauit: aduentus sui tempore maiora sponsurus: adeoq; colligitur

Genes. 15. Promissio facta Habrahę.

Psal. 131.

tur

tur promissio diuina in lege antiqua rerum fuisse terrenarum: in cuius promissionis argumentum, datũ est sacramentum circumcisionis et alia id genus similia. Promissio uero diuina in lege noua, nõ est promissio terrestrium, sed cęlestium, non caducorum, sed ęternorum: in cuius promissionis fidem, pręstantur baptismus, sacramentum altaris, et alia his non disparia. Quamobrem cum sacramẽtum circumcisionis et paria ueteris legis sacramenta fuere elargita in fidem diuinę promissionis, quę fuit tantum rerum labentium et mundanarum: præsertim quantum ad id, qđ in aperto pręse ferebat (uti iã e scriptura didicistis) Baptismus uero, ac cætera nouæ legis sacramenta, donatá sunt in fidem diuinæ promissionis: quę dumtaxt est cęlestium et ęternorum. Quis tam est luscus aut cæcutientibus oculis: nisi tenebris laboret egyptijs: qui non dilucide cernit: sacramenta euãgelica a moysaicis immenso interuallo distare, etiam quoad significationem: quando illa sola significabãt fidem promissionis diuinæ in res sydereas et perennes: ista uero non nisi in res uanas et perituras. quo facile appareat, errorem esse euidentissimum, sacramenta nouæ legis quoad efficaciam significationis nihil differre, a sacramentis legis antiquę: tametsi Lutherũ mouere etiam admodum debuerat: quod Ioannes ait. Lex per Moysen data est: gratia et ueritas per Iesum Christũ. Quis enim adeo est demens: ut umbram et ueritatem nihil differre cõtendat? Sed de his hactenus. Cæterum Lutherus quidem, ut in hac re de sacramentis aliquid recte dixisse uideatur: hoc in loco ait. Idem, inquit, dominus, qui

Policitatio euaagelica q̃ sit excelsa

Ioan. I.

qui nūc nos saluat per baptismū et panem: saluauit Abel per sacrificium, Noe per artham, Abraham per circumcisionem, et alios omnes per sua signa. Et quis ista tanq̃ rata et firma Luthere habere uidearis: tamē ipse paulo post homo, uti opinor, quem litargia perturbat: hoc mox refragato, nihil non contrarium eniteris. Circūcisio, inquis, non iustificauit Abraham, sed fides, cui iuncta est circūcisio: nec sacrificium Abel eum iustificabat, sed fides, quā externum sacrificiū figurabat. Ecce Luthere, q̃ sis homo uersipellis, uarius, inconstans, et in singulis tibi ipsi contrarius: specta nunc, efflagito, qualiter instauratis pugnantium uerborum copijs, nouum tibimet iam bellum indicis. Nam cū primo dixeras: ꝙ dominus saluauit Abraham per circumcisionem, et Abel per sacrificium: nūc eo reuocato, cōtendis eregione eos nequaq̃ per sacrificiū et circūcisionem fuisse saluatos: sed per solam fidem, cui iūcta sunt sacrificium et circumcisio. Et rursus, licet iampridem dixeras: deus nos nūc saluat per baptismum et panem: qui olim saluauit Abraham per circumcisionem: tamen subinde in contrariam uersus sententiam, tanquam homo frontis parum pudicę, ais: Baptismus neminē iustificat: nec ulli prodest. Ecce, primo affirmasti saluari per baptismum: nunc autem, eo renunciato, ais, Baptismum neminem iustificare, nec ulli ꝓdesse. Quis igitur genuus malus, quisue cacodęmonū Luthere ad hoc te impulerit: ut tot in his, quæ fidei sunt: sentētias ex diametro inter se dimicantes, in medium afferres? An hoc forte ideo cōmisisti: quia satius duxeris a te ipso q̃ ab altero euinci: tuis

Plus polipo uariat.

In Lutherū suę argutias reciduat.

Sua Lutherus prendit sagena.

uerbis q̃ alienis cõfundi? Manifestior enim est hęc uerborum pariter et sententiarum cõtradictio: q̃ ulla possit tergiuersatione uitari. Moyses namq; de monte discendens, legis tabulas secum ferens, fulgentem sibi faciem olim tegebat: alioqui spectare eum nequaq̃ ualebat populus, pręmoximo uultus sui splendore et gloria. At tu Luthere nõ e superis, sed ceu ab orco iam ueniens, ita scripturas inuertis, torques, obliquas, adeoq; in cunctis ubilibet tecum pugnas: ut uelare profecto faciem tibi et uultum deberes: et id reuera prae nimio pudore, ac pugnę tuę ignominia. Proinde iam uirum istũ in cunctis, quę modo scribit: mẽdacem esse, et dissidentium sententiarũ bella, et continua uerborũ pugna palam satis docent. Sed mihi quidem iam haud dubium esse poterit Lutherum, q̃ primum hęc legerit: uelle se alio diuerti, et uerba sua in alium sensum torquere. Hic enim familiaris est omnium hęreticorum mos: ut si quando manifestus eorum depręhendatur error: ilico communem uerborum suorũ sensum relinquere: et sic aut sic intellexi, dicere: ita uafrũ et uersutum illis semper praesto fuit ingenium: sed facies ueritatis simplex est, et duplicitatis nescia: et ideo, dum alium uerborum suorum sensum q̃ communem quaerunt: falsum se dixisse manifeste ostendunt.

Exodi. 28.

Hęreticũ Lutheri diuerticulũ.

LVTHERVS.

QVICQVID enim uiuimus baptismus esse debet et signum seu sacramentum baptismi implere: cum a caeteris omnibus liberati, uti tantũ baptismo sumus addicti: unum, ut dixi, in tota uita agendum est propositũ: ut

Baptismum dũtaxat pro sacramento asserit.

ut baptizemur: id est mortificemur: et uiuamus per fidē Christi.

POVELVS.

PVTO ego quidem esse neminem: nisi is, cui nullus sit sensus: qui ex his Lutheri uerbis non facile deprehendit: hoc solum in eius animo uersari, ut cæteris sublatis sacramentis solum baptismum nobis pro omnibus substituat: atq; baptismo semel obtento alterius sacramenti usu nullo penitus egere: Quicquid uiuimus, inquit, baptismus esse debet: et signum seu sacramentum baptismi implere, cum a cęteris omnibus liberati: uti tantum baptismo sumus addicti. Quod si a cæteris sacramentis liberati: sumus addicti uti tantum baptismo: non erit profecto opus usu aliorum sacramentorum: imo nec sacramenti altaris: cuius tamen usum postea dicit in uitæ termino esse omnino necessarium. Sed consuetudo crebra est hæc Luthero: ut principio suæ orationis finis nunq̄ consentiat. Sed quid est, rogo, quod ais Luthere: ut a cęteris omibus sacramentis liberati, uti tantum baptismo sumus addicti? An forte omnium reliquorum sacramentorum ecclesiæ citra baptismū, fidem, et obseruātiam, seruitutem esse exstimas? et ideo ab illis, ueluti a captiuitate populum emācipari et liberari desyderas? quod si hoc non causeris et innuas: nec reliquorum sacramentorū obseruantiam, seruitutem putas: cur, quęso, dicis: ut a cęteris sacramentis liberati, uti tantū baptismo sumus addicti? plane hæc tua Luthere uerba aspidis uenenū adeo spirant: ut baptismo nō satis saluo, etiam cęterorū sacramētorū fidem captiui-

tatem esse astruant: id quod sermones tuos prudenter expendenti facile possit patere. Cęterum hoc tamen hic prętereundum nobis non est: ꝙ q̃uis omnium septem sacramentorum Christus institutor extiterit et consecrator: tamen duo præcipua sacramenta, hoc est baptismum in principio suæ prędicationis, et sacramentum altaris in fine suę decessionis, pro suo ultimo ualere: cum maiore celebritate et pondere, docente euangelio instituit: q̃ cętera omnia sacramenta. non solum ꝙ ista ad credendum sunt arduora: sed etiam ꝙ ad salutem cæteris uideantur magis necessaria: quãdo altero originalis culpa detergitur: altero uero spiritualis animæ uita alitur et roborat̃: Quo certe factum est: ut hæc duo, q̃ reliqua sacramenta, explorãtur olim et præteritarum rerum typis exprężsius adumbrata, pariter et prophetarũ oraculis enũciata clarius: quemadmodũ in secũdo libro de eucharistia, uno et altero loco diximus: q̃uis etiam et in ligno uitę, et in pane subcineritio, in cuius fortitudine Helyas ambulabat, usq; ad montem dei, ipsa clarissimo typo ostenditur figurata: fuit certe et de baptismo in lege naturæ et scripta typus frequens, et plane numerosior, q̃ uel modo hic dicere libeat: uel certe recensere compendiũ admittit. Proinde omitto: ꝙ uox domini ferebatur super aquas. Nam quando uerbum accedit ad elementum: fit sacramentum. Taceo cataclismũ: in quo extincta est impiorum frequentia: et una credentium familia euasit incolumis et salua: quia statuit deus: ut postea in baptismo ipse peccata deleret: et baptizarorum animas saluas faceret. Sileo, ꝙ Isaac sumpsit Rebeccã uxorem

[Margin notes:] baptisma et eucharistia sacramẽtis aliis ad salutem magis necessaria. — Baptismi et eucharistię generalis effectus. — Genes. 2. — 3. regũ. 19. — Genes. 1. — Genes. 7. — Genes. 24.

uxorem apud fontem uiuentis et uidentis: Quia apud fõtem baptiſmatis, Chriſtus animam ſibi fuerat confœderaturus in ſponſam: aut quid in hac re nunc de lege moyſaica loquar: nõne ipſa olim grauiter intentabat dicens: homo qui morticinũ tetigerit, peribit ipſe de Iſrael, niſi aqua expiationis aſperſus fuerit: quia tempus profecto uenturum erat: quando Chriſtus minaturus diceret: Niſi quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu ſancto nõ poteſt introire in regnum dei. Nolo modo, ne ſim pluribus moleſtus: dicere de labio æneo: ubi ſacerdotes eluebant maculas, bobus baiulato duodecim: quia dies deinceps aliquando foret: quando animarum ſordes depurgaret baptiſmus, per duodecim apoſtolos poſtea ĩ toto orbe prędicãdus. Omitto igitur, ne legẽtibus uidear grauis id genus baptiſmi typos, qui paſſim per ſcripturas ſperguntur: iam uocare ad calculum: hoc ſolum in medium ſat erit modo afferre: qđ Paulus ipſe, de utriuſq; ſacramenti baptiſmi et altaris figura tractat. Omnes patres noſtri, inquit, in Moyſe baptizati ſunt in mari et in nube: omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt: et eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpirituali conſequente eos Petra: petra autem erat Chriſtus. Vtriuſq; ergo ſacramenti figuram, baptiſmi et altaris, his uerbis expreſſit Paulus: altaris in manna, baptiſmi in mari et in nube. Quippe in mari perempta ſunt corpora ægyptiorum: quia in baptiſmo ſubmergenda fuerant faſcinora peccatorum. In nube autem illuminata eſt caligo noctis: et caſtigatus ardor ſolis: quia a Chriſto donandum quandoq; fuerat: ut flam-

Numer. 19.

Ioan. 3.

I. Cor. 10.

Geminus baptiſmi fructus.

mam fomitis per gratiam baptiſmi Chriſtus temporaret: et humanarum mentium tenebras fidei illuſtratione perfunderet. Quamobrem cum citato iam Paulo per totam uiam pręſentis peregrinationis ad cęlum, omnibus chriſtianis utrunq; ſacramentum baptiſmi et euchariſtiæ tam fuerit modo neceſſarium: q̃ olim Iſraelitis per totam uiam deſerti nubes et manna, ſine quorum uſu, et pręcipue mãnę, ad promiſſam hęreditatem certũ eſt eos nunq̃ potuiſſe peruenire. Quare, obſecro, Luthere contra fidem et Paulum dimicans, ais? Quicquid uiuimus baptiſmus eſſe debet: uti tantum baptiſmo ſumus addicti: quaſi adepto ſemel baptiſmo alio opus nõ eſſet ſacramento: imo nec ipſo quidem ſacramento altaris. quod licet Numer. 28. in iugi ſacrificio clariſſime fuerat adumbratum: propterea φ in eccleſia ad memoriam Chriſti paſſionis iugiter offerri deberet: Tamen Antiochus noſter contra Hieruſalem bellum ſanctificans, iuge ſacrificium euchariſtiæ tollere ille cunctis lacertis ſudat: Quia uti tantum baptiſmo, inquit, ſumus addicti. Et cum olim filios Iſrael rigidiſſimo deus deuinxit imperio: ut in memoriam tranſitus eorũ de Aegypto quotannis agnum ederent paſcalem, Numer. 9. Si quis mundus fuerit: et tamen non fecit phaſe: exterminabitur anima illa de populis ſuis. Vnde in eccleſia traductũ eſt, in paſcate corporis Chriſti cõmunicationem, catholicis ſemper fore anniuerſariam: quæ in primitiua eccleſia, ut apoſtolorum actus edocet: cotidiana extiterat. Verum ubi fidelium corda ab ipſo initio charitate flammantia, aliquanto deferbuere; mox ſubſecuta eſt ſingulis dominicis

Numer. 28.

Numer. 9.

Catholici quotannis coicari debant.

Vetus coicandi conſuetudo.

cis eucharistię participatio: cuius patens adhuc superest hodie argumẽtum: ipsa dominicis diebus sanctificati panis in ecclesia distributio: quem pij christiani in eucharistię monumentum etiam ieiuni sumunt. Deinde quidem cum in christianorum populo pietatis religio indies magis magisq; tepesceret: nec tam crebram communicandi frequentiam, ea, qua debuerunt: pietate seruarẽt: edictũ est, iubente ecclesia, quæ infirmorũ fragilitati semper consulit: ter in anno cunctos catholicos communicatum ire: eo sapienter emulato, quod scriptum est. 3. regũ. 9. per singulos ãnos tribus uicibus mihi festa celebrabitis. Sed nec illo quidem syncere satis custodito. Postremo eo deuentũ est, frigente charitate fideliũ: ut nouo ecclesię decreto promanauerit: quatenus uniuersi fideles, si tamen fideles censeri et haberi uelint: quotannis saltem semel, et eo demũ in pascate, omnino cõmunicatum irent: propter id, quod scriptum est. Si quis mundus fuerit: et tñ non fecit phase: exterminabitur anima illa de populis suis. Et tamen non uult Lutherus, antichristica ĩpietate agitatus: ut eucharistia, quam seruator noster Christus, in memoriã transitus sui de hoc mundo, instituit: unq̃ a christianis sumatur: Quia tantum baptismo, inquit, sumus addicti: ut illum glorię et honori Christi admodum inuidere, sit iam plane perspicuum. Et tamen dũ raptis a nobis cæteris sacramentis, solum baptismum ponis Luthere: etiã mox et ipsum sacramentũ baptismi rursum tollis: ais enim: unũ, ut dixi: in tota uita agendum est propositum: ut baptizemur: id est: mortificemur: et uiuamus per fidem Christi. Si ergo baptizari

3. reg. 9.

Numer. 9.

Sua Lutherum arma premunt.

baptizari, ſeu hominem baptizatum eſſe, nō ſit aliud, ut tu contendis: niſi hominem uiuere in fide Chriſti, et carnem mortificare. Quis tam parum oculatus eſt: niſi is in meridie palpitet: qui non palam uidet ſacramentum baptiſmi omnino detractum eſſe: quando etiam ſine ſacramēto baptiſmi per ſolam fidem Chriſti, et per mortificationē carnis, te authore, omnem uirtutem et uim baptiſmi homines accipiunt. Itaq; q̄uis multa iampridem fecunde, ut tibi uiſum eſt: de ſacramento baptiſmi conceperis: nūc tamen parturiens omnia abortis, quia baptiſmi, inquis, nō eſt aliud: q̄ carnem mortificare, et uiuere per fidem Chriſti. Et hoc, precor, quid aliud eſt: q̄ baptiſmum prorſus tollere, et omnem humani generis ſalutem, in ſola fide et carnis mortificatione locare? de quo poſtea uberiore ſermone audies: proinde cum iam te putas hic de baptiſmo omnia per talenta loqui: uerbis tamen tuis baptiſmū cōfundēs: tam impia, tamq; ſibi pugnantia certe paſſim immiſces: ut multo ſiquidem tibi ſatius fuiſſet omnino tacere: q̄ tot contradictionibus, unde te expedire non poſſis: tam patenter inuolui, er errata erratis cumulare. Sed uerū eſt illud tritum et uetus dicteriū: uno ſemel admiſſo errore, indies magis magisq; plures ſuboriri.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

LVTHERVS.

TERTIO loco de pœnitentiæ ſacramento dicendū, primum huius ſacramenti et capitale eſt malū: quod

ſacramentū

ſacramentum ipſum in totum aboleuerunt: ne ueſtigio quidem eius relicto: Nam cum et ipſum ſicut et alij duo conſtet: uerbo promiſſionis diuinæ et fide noſtra utrunq; ſubuertunt. Nam uerbum promiſſionis, ubi Chriſtus dicit, Matthæi.16. Quodcunq; ligaueris.&c. Et quodcũq; ſolueris.&c. Atq; Ioannis ultimo, Quorũ remiſeritis peccata: remittuntur eis.&c. De poteſtate tyrannica pontificum omnia blaterant: cum Chriſtus nihil ibi de poteſtate, ſed de fide omnia agat. Non hoc contenta Babylonia noſtra, fidem quoq; adeo extinxit: ut impudente frõte eã negaret neceſſariam eſſe in ſacramento iſto: imo antichriſtica impietate diffiniret hæreſim eſſe: ſi fidem neceſſariã quis eſſe aſſereret. Caue in contritionem tuam confidas: aut dolori tuo remiſſionem peccatorum tribuas. nõ enim propter hæc reſpicit deus: ſed propter fidem.

Euangeliũ inuertit ei⁹ ſenſum imputans.

Mendaciorum faſces cõſarcinat

POVELVS.

MIRARI equidẽ ſatis non poſſũ: quid hic de pęnitentia nunc dicere Lutherus uelit: quãdo in fine huius libelli babylonici eã prorſus e medio rapuerat. Et etiã in hoc capite nihil ſacramanto pœnitentię, ſed omnia ueritati dei et noſtræ fidei tribuit: ait enim: Veritati dei et noſtræ fidei debetur, quicquid boni in pœnitentia fuerit. Ipſe enim, quoad ualeat: ſacramentum pœnitentiæ omnino euacuat: quandoquidem pœnitentiæ ſacramentum uſq; adeo affirmat abolitum: ut ne eius quidem ueſtigium remaneat: et tantę iacturæ cauſam licet commenticiam tñ non reticuit. Nam cum et ipſum, inquit, ſicut et alij duo conſtet uerbo diuinæ promiſſionis et fide noſtra: utrunq;

 ſubuer-

subuerterunt. Sed cur mendacijs Luthere, sic tua omnia fulcis? Nam ubi, quęso, subuerterunt, quomodo, quãdo, qui, et quibus uerbis? Cur id sceleris, quod tuum est: alijs impingis? Ipse enim es: qui subuertis: quãdo in calce huius codicelli Babylonici pœnitentiam prorsus negas. Nã sacramentum illic diffiniens, ais: Sacramenta, inquis, ea sunt: quæ annexis signis promissa sunt. pœnitentiam autem, dicis, tali signo carere: et ob id sacramentum nõ esse: Itaq; apud Lutherum, pœnitentia est sacramentum et nõ sacramentum: manens et abolitum, simul aliquid et nihil. Sed dicis hic Luthere: ibi subuerterunt pœnitentiam: ubi Christus dicit, Matthęi. 16. Quodcũq; ligaueris super terram. &c. Et Ioannis penultimo. Quorum remiseritis peccata. &c. Verba ista Christi intelligũt, inquis, de potestate tyrannica pontificum: cum Christus de fide ibi omnia agat. Verum audiat homo iste minus sobrius et sui ipsius impaciens, mendacijs omnia depingens. Nam Christus Matthęi. 16. in Petro omnium discipulorum fidem primo laudauit: dicens: Beatus es Simon Bariona. &c. Deinde ob fidei constantiam ligandi atq; soluendi potestatem illi donauit: dicens. Quodcunq; ligaueris super. &c. Apud Ioannem uero, capite penultimo, ne unum quidem uerbũ de fide tangitur: sed de potestate remittendi et retinendi peccata, quam suis discipulis Christus tunc tribuit: solus sermo uersatur. Et tamen pudore nullo suffũditur, homo iste frontis admodum impudentis et certe plusq̃ meretricię, qui sibi omnia licere putat: publice pudicas constuprare scripturas: et id dicere, quod a ueritate est longe alienum

[Margin: eodẽ pugno aquã et ignem gerit.]

[Margin: Matthęi. 16]

[Margin: Ioan. 19.]

[Margin: Impudẽtia Lutheri.]

enum: uidelicet apud Matthæum et Ioãnem nihil de potestate, sed totum de fide agi: quando tuba euangelica, quam audire surdaster iste non uult: utroq; in loco discipulis potestatem, ligandi atq; soluendi fuisse largitam, lõge lateq; resonat. Quod uero addit Lutherus (nescio certe unde sumptum) Quempiam constituisse hęresim esse, Si quis in sacramento pœnitentiæ fidem necessariam esse asserat: satis equidem scio: catholicorũ fuisse neminem, qui ita aliquando diffiniuerit: sed si e suo cerebro malo peruersoq; hoc Lutherus non finxerit: cur statuentem non nominat? cur eius uerba non recitat? cur locum non citat? Quod si nihil horum nobis afferre possit: quis est: qui nõ uidet, id nõ ab aliquo fuisse statutum: sed dumtaxat a pectoris sui ueneno excogitatum? Et ideo hanc fabam in illum penitus esse cudẽdam? Nam cum, teste paulo, fides sit substantia rerum sperandarum: sine qua impossibile est placere deo: fidem profecto in sacramento pœnitentię necessariam esse nemo unq̃ negauit: nisi is demum, qui fuerat Lutheri similis. Proinde est quidem hodie: quod satis doleam: Lutherum uirum esse capite tam insano et parum christiano, ut sacramẽtum pœnitentiæ modo longe secus q̃ catholice tractet: imo ut iam eum nihil omnino pudeat, tres partes pœnitentiæ ita uersare: ut primo e rebus ipse contritionem tollat. Deinde mox satisfactionem adimat. Ac postromo uocalem confessionem tam male uexet: ut absq; graui dispendio eam abire non sinat. Ac primo cordis quidem contritionem, quæ scelera tergit: e medio nũc surripere in primis sudat: Caue, inquit, in contritionem

Matthęi .16

Detegitur. Lutheri mẽdacium.

Suffuratur Lutherus tres pœnitẽtiæ partes.

Cõtritionẽ tollit.

tuam confidas: aut dolori tuo peccatorum remissionem tribuas. non enim propter hæc respicit deus: sed propter fidem. Ecce, hic nihil est: quod contritioni erogat. Et si Dauid dicat: Sacrificium deo spiritus contribulatus: Sed in peccatorum remissione omnia prorsus fidei pręstat. At ubi psalmigraphus contrito cordi remissionem peccatorũ ascribens, dicit: Sanat deus contritos corde: et alligat cõtritiones eorum. Lutherus uero, eregione depugnans, id prorsus negat: contendens scelerum remissionem non ad contritionem, sed ad solam fidem spectare. tametsi superius dixerat: Peccata purgari sola fide cordis contriti: nũc autem in contrarium actus, ait. Caue in contritionem tuã confidas. Vt eo demum pacto, et sibi ipsi palam contradicat: et hanc primam pœnitentiæ partem suis pedibus terat. Deinde et satisfactionem, ipse nemini satisfaciens, ita quidem interimit (sicuti e primo libro liquet) ut nec ieiunia quippe, nec orationes, nec elemosinas, deum curare ullas asserat: nec ad ista quidẽ ullo pacto respicere. Opera, inquit Lutherus, nostra deus nihil curat: nec eis indiget. indiget autem, ut uerax in promissis suis a nobis habeatur. Quid sibi uolunt, quęso, hęc uerba Lutheri: opera nostra deus nihil curat. an forte cardines cæli perambulat: et nostra non consyderat? Attendite igitur, et diligẽter intuemini, quã faciem præ se ferunt hi sermones. Nẽpe faciem omni fuligine ac pice tetriorem, utpote qui faciant homines cuncta opera bona et satisfactoria, ieiunia, orationes, elemosinas prorsus contemnere: quando talia deũ affirmat nihil omnino curare: ut eo tandem calle omnem

Satisfactionẽ adimit.

satis=

ſatiſfactionem ipſe penitus euertat. Ad poſtremum uero et uocalem confeſſionem, cum tanto ſiquidem eius detrimento et iactura expendit: ut ſpretis eccleſię clauibus, et aſpernato plane ſacerdotio, non ſolum laicorũ uulgo confeſſiones fieri concedit: ſed etiam, quod magis eſt impiũ: mulieres, quæ rimarum plenæ, continere nihil poſſunt: et quas poteſtatem habere in uiros Paulus non permittit: uult Lutherus in confeſſione eſſe uiris a ſecretis: Permittant, inquit Lutherus, epiſcopi omnibus fratribus et ſororibus liberrimam facultatem, audiendi occultorum cõfeſſionem: ut peccator, cui uoluerit: ſuum peccatum reuelet. Quas ob res cum Lutherus primo contritionem ſub calce egit: atq; deinde ſatiſfactionem a chriſtianis procul abegit: contendens, deum opera noſtra nihil curare: de quo ſuperius in. 2. libro copioſius. Ac poſtremo quoq; facultatem audiendi abditorum confeſſionem cũctis laicis et mulieribus tribuit. Quis efflagito adeo ſtipes eſt et cõmuni ſenſu carens: ut non ilico cenſeat pœnitentiam, cum ſuis omnibus partibus, hoc in loco ab eo ſic prorſus confundi: ut quantum per eum ſtat: eius ueſtigij nunc proœmodum nihil relinquatur. Et tamen id ſceleris eneruationis pœnitentiæ alijs mendaciter imponit: quod ſolus ipſe nequiter commiſit. Itaq; cum omnes pene errorũ ſuorum nequitias, Lutherus ab alijs mendicat hęreticis: hoc tamen tanq̃ proprium et peculiare quiddam ſibi uẽdicat: ut id piaculi catholicis imputet: cuius ipſe ſola origo et fons eſt: Et ideo nunc conſpicitis, q̃ inſane ingreſſus eſt Lutherus immenſum errorum labyrinthum, omni deſti-

Vocalis cõfeſſionis ueritatẽ proſcribit.

I. Tim. 2.

tutus licio: quo se speraret aliquando reducem: prouinciam stulte suscipiens, quam nec unq̃ possit perficere: nec certe uelit homo rebellis et pertinax, uel inchoatam relinquere.

LVTHERVS.

Cõqueritur Iudas de Christo Lutherus de romano episcopo. Plorat crocodilus.

QVID amplius facere potuit tyrannis ista: et non fecit? Vere super flumina Babylonis sedemus, et flemus, dum recordaremur tui Syon: in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Maledicat dominus steriles istas salices fluminum istorum. &c.

POVELVS.

Genes. 9.

HOMO iste omnibus quidem modis ipsius Cham simillimus (cui ob dedecus in patrem maledixit dñs, etiam in posteris) pleno ore in summos pontifices patres suos insanit, debaccatur, et furit uir hellebero egens: ipse nec Absalonis suspendio, nec Datan et Abiron inaudito supplicio ammoneri uolens. Porro superioribus nostris reuerentiam, et si quid etiam ab illis peccatur: modestiam et patientiam debere, deus ipse nõ tam uerbis q̃ rebus gestis et exemplis nos docet. Nam Marię sorori Moysi, mulieri alioqui et bonę et pię, quia aduersus Moysen murmurabat: deus ipse nõ pepercit: sed lepra quidem graui perculit: (licet muliebris sexus fragilitas uideretur in ea re ignoscentiam ꝓmereri) Aaronẽ autem, qui eiusdem sceleris reus fuit: tametsi ob ordinis et status dignitatem, longe in eo piaculo grauius cõmisisset: tamen quia gubernator in populo extitit: non solum plectere, sed ne palam quidem eum carpere, deo aliquando placuit. hoc pacto insinuans

1. regũ. 18.

Numer. 16.

pacientia in superiorea debita.

Numer. 9.

nuans rectores nostros, si quid sinistre ab illis geritur: nostris tn̄ maledictis non feriendos. At huc quidem proxime accedit: quod Christus ipse peregit: qui licet in discipulis fidei teporem, intellectus hebitudinem, cordis duritiam, honoris ambitum, et alia non pauca perspiceret: Marci.9.
quæ iustę reprehensioni patebant: publicitus tamē nunq̄, sed seorsum secretoq́ꝫ, de reformandis criminibus, eos cōueniebat: ut quos ipse orbis magistros cōstituturus erat: eos, saluo nomine et integra fama, clam et occulte corrigeret: ut nos quales erga superiores nostros esse debeamus: uel eo monstraret exemplo. Et tamen ingratę et crudelis Luthere, atrocitatem tuam tanti præceptoris mite, benignū, et suaue magisteriū, nihil potuit mitigare: quo minus summū pontificem, cuius erga te magna extabant benificia, conuitijs et maledictis truculenter lapidare, supremis neruis tētares. Confutatio.
Nec in hac re i os mihi retūdas Luthere, asinam Balaam, quę tametsi locuta, prophetam tn̄ Numer.22.
nusq̄ arguerat: sed cum asina ab eo haud ęquiter cederetur: illati supplicij rationem humiliter expecijt. Quid, inquit, feci tibi? asina tua sum: cur me percutis? Quid unq̄ simile feci? Non utiq́ꝫ contumeliam inferens, sed tormenti causam a propheta mansuete quęrens, ut Lutherum superiores suos, etiam in eum perperam agentes, quomodo non maledictis incesseret: non probris percuteret: sed humiliter ac pacienter ferret: etiam ipsa asina aperte doceret: Qꝫ si Lutherus, ut homo est sublimis supercilij et fastus immensi: ab asina doceri nolit: saltem ipse uel deum præceptorem audiat. Ipse enim est: qui mandans, dicit: dijs, Exodi.22.
hoc

Exodi.22. hoc est iudicibus tuis non detrahes: ac iterū. Principi populi tui non maledices: Et rursus. Qui maledixit patri uel
Leui.10. matri: morte moriatur. Sed ait Lutherus. Super flumina
Psal.136. Babylonis sedemus, et flemus: dum recordaremur tui Syon: in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Et ideo, inquit Lutherus, maledicat deus steriles istas salices fluminum istorum. Ecce, primo instituto relicto, q̃ longe extra chorum saltat Lutherus: a sacramen-
Cacologia Lutheri. to ad conuitium, a pœnitentia ad maledicentiam confestim transiliens. Cum fratrem theologum nihil unquam minus decuit, q̃ eum esse cacologum. Nam quid christiano et cacologię? quando scriptum est. Maledici regnum dei non possidebunt? Nonne Iudas Machabeus maledi-
2.Macha.10 cos cremari etiam uiuos iussit? Nihilo secius homo tamē
Phil.9. iste, cuius os maledictione plenum est amaritudine et dolo: patri suo noluit benedicere: imo nec ueritus est, ei studiose maledicere. Et iccirco quia noluit benedictionem:
Psal.108. elongabitur ab eo: et quia dilexit maledictionem: ueniet ei. Maledicat deus, inquit Lutherus, istas steriles salices fluuiorum istorum. O prolem degenerem, o filium impiū a timore dei procul et alienum: dijs detrahit: principi populi sui et patri suo maledicit: quia super flumina Babylo-
Crocodili piratus. nis, inquit, sedemus, et flemus. En homo callidus iā flere se dicit: sed crocodili lachrymę, quādo aliud nihil est: qđ eum anxius urit: q̃ ꝙ ecclesię Christi, quātum conatur et uelit: obesse nusq̃ possit: hinc luget et gemit: hinc lacri-
1.reg.24. matur et plorat: quia fleuit Saul super Dauid: quē nullo molimine interimere quiuit. Eenim enemuero sedet quidē

Lutherus

Lutherus homo iam exploratę malitię, super flumina hęresum suarũ hodie captiuus, sedet erroribus illaqueatus: quos o si tandem resipiscens ipse defleret: in sacco et cinere pœnitentiam acturus, e suis nequitijs tandem emancipatus. In salicibus, inquit, in medio eius suspendimus organa nostra. Sed hic rogo Lutherum, an ecclesiam appellare Babyloniam, summos pontifices uocare tyrannos, maledicere hominibus in mundo, pariter et diuis in cęlo, est ne hoc organa suspendere: et non potius ea pessime pulsare? Quamobrem nunc precor Lutherum: canat nobis unum de canticis Syon: Illic enim dulciter cantatur: Melior est obedientia q̃ uictimę. Illic armonice psallitur: Obedite prępositis uestris etiam discolis. Illic charitas suauiter modulatur. Estote modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, maledictũ pro maledicto: sed e contrario benedicentes: Imo illic clara et sonora uoce concinnitur. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quia non est potestas nisi a deo. Vnum ex his psallat modo nobis Lutherus: ꝓfecto nihil minus poterit. quoniam iam emigrauit ipse procul in regionem longinquã: abijt pręceps in malignantium ecclesiam. et ideo quomodo cantabit canticum domini in terra aliena?

Lutherani organi suspendium.

I. reg. 15.
Hebrę. 13.
I. Petri. 5.
Roma. 13.

LVTHERVS.

OBliteratis itaq; promissione et fide, uideamus, quid substiterunt in locum earum: tres partes dederũt pęnitentię, contritionem, confessionem, et satisfactionẽ: sed sic, ut in singulis, si quid boni inesset: tollerent: et in eisdẽ quoq; suam libidinem et tyrannidem constituerent. Ma-

gna res cor contritum, nec nisi ardentis in promissionem et comminationem diuinam fidei. Proinde fides ante omnia docenda est: fide autem obtenta, contritio et consolatio ineuitabili sequela sua sponte sequentur. Quemadmodum plene suo dicetur loco. opera enim nostra deus nihil curat: nec eis indiget: indiget autem: ut uerax in suis promissis a nobis habeatur.

Delphinum natare et aquilã uolare docet.

POVELVS.

QVAMVIS nemo (nisi me mea fefellit opinio) christianorum sit: qui ambigit: quin in omni sacramẽto opus sit fide: nec fidem esse sine diuina promissione. tñ Lutherus iã conatus ĩstruere aues uolare, et pisces natare, admonet tanq̃ nouum quiddam, nusquã ab alijs edoctũ, diuinam promissionem et fidem, quas ubilibet christiani in promptu tenent: ante omnia diligenter addiscendã. Et cum nullus bñ C̃rianus de diuina promissione usquã hęsitet: aut in ea suam fidem non firmiter collocat: in ecclesia tamẽ Christi eas iam obliteratas esse, iste doli artifex impudenter mentitur. Et ideo quia passim ipse nos obtũdit: fidem et diuinam promissionem nobis toties ad satietatẽ usq; inculcans: propterea nos uicissim hic ab eo utramq; quæramus: et primo ab eo eius fidem sciscitamur: quam nusquã adhuc bene docuit. Sciscitamur, inquam, eius fidem: si tamen fidem habeat: qui ipsam fidem ubiq; impugnat. Nempe non est eius fides: ipsa fides, quam prodit simbolum apostolicum: in duodecim partitum articulos: tum quia de illis ne unum quidem uerbum fecit: tum quia nec in ecclesiam catholicam credit: sed fides haud dubie

Interrogatio super fidẽ Lutheri.

bie, quam Lutherus superius astruxerat: fides est ociosa uacans bonis operibus, soli diuinæ hærens promissioni, qua baptizatus credit: se sola fide ꝓmittentis dei sine ullo bono opere saluari: etiam si uitam agat sceleratissimã. Sic enim ait Lutherus. Nulla, inquit, peccata possunt baptizatum damnare: nisi sola incredulitas. Sed stet, inquit, fides: et per eam omnia peccata in momento absorbentur. Quod si sola fides ad oia expiãda scelera abunde sufficiat: quid opus erit contritione, confessione, satisfactione, aut pœnitentia ulla? aut alio quouis sacramento? cum sola fide ilico fascinora expurgẽtur: imo si citra opera bona, sola fide ad regnum peruenitur cęlorum: quod ante Lutherũ nemo unq̃ dixerit: quid ieiunijs, quid uigilijs, quid orationibus, quid elemosinis, quid tot misericordię et pietatis operibus, ut ad astra ueniatur: quisquã sudat, molitur, anhelat: quando illuc sola fide scanditur: sola credulitate attingitur? Quinetiam si christianum damnare nulla scelera possunt: modo credat: cur prędari, furari, scortari, necare, atq; alia quoq; flagitiosissima, quæ ne fiant: deus ipse dire minatur: quisquam committere pertimescat? quãdo ob id nulla pœna plectetur: sed sola fide saluabitur. fidem ergo nunc Lutherus sic docet: ut omnem pœnitentiã aboleat: et ex fide, ipse peccandi licenciam mortalibus faciat: cuncta opera bona perimat: ad omnia peccata inuitet: et timorem dei uniuersum extinguat: tam ægregie fidem tractare Lutherus ipse nouit. Cæterum nunc de promissione diuina quid ipse dicit (si tamen quicq̃ dixerit: qui de ea, ut dicendum esset: hactenus nihil bene dixit) deinceps

Ad exitũ q̃ impiũ trahit Lutherus promissi onẽ diuiuã.

ceps iam uideamus. Quis enim in cunctis promissionibus suis non potest deus non uerax esse: quia, Fidelis dominus in omnibus uerbis suis: tamen christianis sibi credentibus, nunq aliter est uitam ęternam policitus: nisi ea conditione, eo demum pacto, ut mandata et legem suam ipsi pure syncęreque obseruent: quod sane licet ex uniuersis, ueteris et noui testamenti locis, comprobare copiose satis possim: tamen quid attinet hic multa congerere: cũ plus delectat scripturarum prolixitatem iam breuitatis cõpendio redimere. Et ideo promissionem illam, quæ a deo primitus pacta est Abrahę et semini ei9, de regno terrę Chanaan et possessione eius: nunc solum repeto, propterea q eadẽ sane promissio, de regno continuando, facta est postea regi Dauid: et ea quidem iureiurando denuo roborata: sicuti in psalmo scriptum est. Iurauit dominus Dauid ueritatem: et non frustrabitur eum: de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Nec tamen promissio tam magna et celebris aliter prodijt: nisi ea lege modo dei pręcepta et mandata ipse cum puritate tenerent: quemadmodũ subinde illic in psalmo consequens sermo aperit. Si custodierint filij tui testamentũ meum et testimonia mea: hęcque quę docebo eos: et filij eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam. Vnde ad Heli summum sacerdotem, dictũ est: Ait dominus deus Israel: loquens loquutus sum: ut domus tua, et domus patris tui, ministraret in conspectu meo in æternum: Nunc autem dicit dominus: Absit hoc a me: sed quicumque honorificauerit me: glorificabo eum: qui autem contemnunt me: erunt ignobiles. Ex his ergo

Psal.144. Psal.131. Psal.131. I.regũ.2.

ergo ſcripturæ uerbis, diuinam promiſſionem haud ſecus mortalibus fuiſſe factam, q̄ ſi diuina præcepta et legē ipſi obſeruent: nemo hic non clare uidet: niſi Lutherus, qui apertis oculis ſolem non uidet. Promiſſio ergo diuina, tā= et ſi liberalis ſit et magnifica, credentibus tamen chriſtia= nis, aliter uitam non ſpondet æternam: niſi mandata eius cuſtodiant: peccata uitent: miſericordiæ et pietatis ope= ra impleant. nec eo ſecius Lutherus bellator, contra ſcrip= turas armatus et ferox, cunctis credentibus uult deum ſic regnum cęlorum promittere: ut aliud q̄ incredulitas illis cęleſtis imperij ianuam non claudat: Et ideo dum ſtudet deum habere in promiſſione ueracem: quid aliud agit: ni= ſi ut conſtituat eum per impunitatem eſſe iniuſtum? Effu= giens ergo Caribdim, incidit in Syllam: et uitato fumo in ignem ruit. Vt iam uel exoculato fuerit clarū, fidē pariter et diuinā promiſſionem, Lutherū ſic tractatas reliquiſſe: ut plane utramq; ipſe nunc penitus ſubuerterit. Tantum igitur abeſt: ut uel de fide, uel de diuina ꝓmiſſione quicq̄ catholice dicat: ut cū ueritatis ſcopū ſe attigiſſe pręcipue iactitet: ibi hæreticū maxime deprehendas: et ubi rē acu tetigiſſe ſe putat: eo in loco longe omnium maxime a ue= ritate ipſe diſcordet. Quod uero dicis Luthere populo or= thodoxo, in ſacramentis fidem diuinę promiſſionis ſemꝑ eſſe inculcandam, nec de operibus curandum: modo fidei promiſſionis diuinę conſtanter inhęreat: longe profecto ſecus prædicas: q̄ Paulus unq̄ docuit. Nam ipſe cū apud Corinthios de ſacramento corporis Chriſti multa ęgregie tractaret, tractataq; diffiniret: non utiq; cōtempſit opus

 bonū:

bonū: id, quod tu facis: Verum hoc in primis admonuit: quatenus opus bene examinatæ conscientiæ, semper eucharistię sumptionem præueniret. Dixit enim: Probet autem se ipsum homo: et sic de pane illo edat: et de calice bibat. Quo intelligas, de bono opere nostro admodum esse curandū: Nec sane Paulus illic quicq̄ meminerit diuinæ promissionis: quā tu asseris ubiq; plebi recantandā: quēadmodum nec alias fecerit: cum apud Romanos de baptismo loqueretur. Quod utiq; nec in uno nec in altero loco omisisset: si ut tu dogmatisas: soli promissioni diuinæ christianum populū inhęrere oportuisset. Vnde satis appareat, Paulina doctrina a tua Luthere q̄ ꝓcul discordat.

Fidē sic Lutherus celebrat, ut pœnitentiam tollat.

Quod uero dicis, fidē ante oīa docendā et ꝓuocandā esse: nā ea obtenta, inquis, ineuitabili sequela cōtritio et cōsolatio sua sponte uenient: procul dubio in hoc sic fidem instruis: ut omnē pœnitentiā a christianorū pectoribus ipse penitus religes, relegatamq;, quoad poteris: funditus extermines. Nam si sola nacta fide, pœnitentia et cōsolatio ineuitabili sequela uenient: Cur dixit Christus: Petite, et accipietis: quęrite, et inuenietis: pulsate, et aperietur uobis? Cur ipse mandauit: Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cælorum? Cur iussit: Si quis uult uenire post me: tollat crucem suā: et sequatur me? Imo cur passim in euangelio, toties et tot uerbis, pœnitentiam Christus suis mandat, infigit, inculcat? quādo potius dixisset, te pręceptore, habite fidem: et pœnitentia ac consolatio ineuitabili sequela uenient: quemadmodū plene suo, inquis, dicetur loco: sed ignoro quo: nisi forte ibi, ubi cerui abijciūt

abijciunt cornua: et lepores cancri captant. Sic ergo omnia ubiq; iam doces: sic omnia suggeris: sic omnia suades: ut omnem Christi doctrinam ipse ammoliaris et tollas. Vnde et si quandoq; aliquod sacramentum laudas: quod perraro facis: id nunq̃ citra alterius iniuriam factitas: nec fidem uspiam aliter commendas: q̃ ut charitatem extinguas: et cuncta opera eius depopuleris et auferas. Et cũ ista omnia, quæ scribis: falsa prorsus esse et hęretica, sole clarius e scripturis, ipse agnoueris: ea tamen reicere nõ instituis: sed mente ferrea pergens, perpetuo ea propugnare nequaq̃ non destinas. Quo facile dinosci possit: erroribus tantopere tuum animum induruisse: ut ex his erui nõ uideatur bene possibile: adeo non facile est resipiscere: ubi semel in hæresim cecideris.

Diffisa ualde est Lutheri emẽdatio

LVTHERVS.

NON est dubium, confessionem peccatorum esse necessariam, et diuinitus mandatam, Matthęi. 3. bapzantur a Ioanne in Iordane confitentes peccata sua. 1. Ioannis. 1. Si cõfessi fuerimus peccata nostra: fidelis est deus et iustus, qui remittet nobis peccata nostra. Si dixerimus quia non peccauimus: mendacem eum facimus: et uerbũ eius in nobis non est. Sed omnium efficacissime, Matthęi 18. instituta confessio probatur: ubi Christus docet fratrẽ peccantem corripiendum, prodendum, accusandum: et si non audierit, excõmunicandum. Occulta autem cõfessio, quę nunc celebratur: et si probari ex scriptura non possit: miro modo tamen placet: et utilis, immo necessaria est: nec uellem eam non esse: imo gaudeo eam esse in ecclesia Christi:

Matthęi. 3. Fronte blãditur cauda pungit.

Matthęi. 18

Virus melle cœpit cõdire.

Christi, cum sit afflectis conscientijs unicum remedium. nec est necesse confiteri prelato aut sacerdoti. nō enim dubito eum a peccatis suis esse absolutum, quisquis siue sua sponte confessus, siue correptus, pecierit, et emendauerit corā quouis priuato fratre. Quare ego principes istos Babylonis, et episcopos Bethanen amonerem: ut de occultis audiendę confessionis, facultatem permittant liberrimā omnibus fratribus et sororibus: ut peccator, cui uoluerit: suū peccatum reuelet: ueniam et solatiū, id est uerbum Christi ex ore proximi petiturus. Deniq; et bona opera inueniuntur esse peccata iuxta illud psalmi: Non intres in iudicium cū seruo tuo domine: quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

POVELVS.

VOCALEM enim et occultam peccatorum confessionem, tametsi Lutherus admittit: tn̄ eam ex scripturis natam, uel diuino mādato iussam, ipse omnino negat: Nec eo tamen minus uerbalem scelerum confessionem diuinitus esse imperatam, plane concedit: hac suasus occasione, ꝙ Matthei.3. dicitur. Baptizabantur a Ioanne in Iordane, cōfitentes peccata sua. Et iterum.1.Ioannis.1. Si cōfessi fuerimus peccata nostra: fidelis est deus et iustus: qui remittet nobis peccata nostra. Ecce amicus noster iam, q̄ blande affatur: lingua lambens: ut genuinū infigat. Nam uocalem confessionem, nunc ideo tam pulchre laudat: ut eam laicis et mulieribus faciūdam esse melius postea persuadeat. Quoniam si his uerbis Matthęi et Ioānis nō occultam et auricularem, sed publicam flagitiorum confessionem

Matthęi.3.

I.Ioan.1.

onem

onem coram hominibus detegendam, Lutherus pręceptã esse intelligat: ut quicquid homines priuatim male dixerint: clam peius fecerint: aut in occultis pessime cogitauerint: id totum pro confesso publice in omnium aures effũdant: plane qui diuino iure semper ꝓhibiti fuere: ne ꝓximorum famam denigrarent: hi, authore Luthero, publica fascinorum suorum confessione, cogantur se ipsos prodere: nomen suum fœde maculare: et communi suorũ criminum reuelatione, se ipsos prorsus infames reddere: cũ scriptura iubet: Curam habe de bono nomine: quia bona profecto fama, ad proximorum ędificationem, res est in primis conducibilis et necessaria: quam nemo, nisi qui in se ipsum crudelis, et in proximum iniquus est: contẽnit. Quamobrem cum uocalis peccatorum confessio, affirmãte utiq; Luthero, quod et certe uerissimum est: sit diuinitus præcepta: nec ipsa quidem poterit esse publica, ante oculos omnium propalanda: quando se ipsum malę famę reddere iubet deus neminem: citra ullam dubitationem, confessio peccatorum diuino iussa imperio, oportet occulta sit et secreta: et nequaq̃ in publicum prodenda: ut iam anceps non sit, ex inuolucris uerborum Lutheri, peccatorum confessionem diuinitus præceptam, debere secretam esse et auricularem: quã ab initio est ipse insiciatus, a deo esse mandatam. Compedibus ergo, quas finxit: iam faber iste seipsum strinxit. Rursus quidem et asserit Lutherus, confessionem, Matthęi. 18. multũ omniũ efficacissime institui: ubi Christus docet, fratrem peccantem corripiendũ. Quod si uerba Christi, Matthęi. 18. ubi Christus ait:

Ecclesi. 41.

Sua Luthe. sagena capitur.

Matthęi. 18

Si peccauerit ĩ te frater tuus: corripe eũ inter te et ipsũ. &c. intelligi omnino debeant de uocali criminum cõfessione: ut Lutherus asseuerantius affirmat: cum Christus illic iubet huiusmodi peccatorũ confessionem, penitus esse clãdestinam, inter confitentem et corripientem: quis ilico nõ coram cernat, mox conspicuum esse, uocalem peccatorũ confessionem, non solum ab euangelio exortam, sed etiã opertere eam esse occultam et auricularem: maxime cum Christus ibi dicat: Corripe illum inter te et ipsum solum. Itaq; effectũ est: ut auricularem cõfessionem, quã nuspiã ex scripturis posse concludi: Lutherus antea decertabat. nunc eam diuinitus præceptam, ipse ex euangelio inscius et nesciens probaret: quia ueritas quidem uerũ dicere etiã ipsos mendaces nonnunq̃ cogit. Videtis ergo, ꝙ q̃uis ipse agat leonem apud Cumanos: aures tamen asini per leonis pellem transparent: dum ei, quod sudans nitebatur: penitus contrarium persuadet. Sed nõ est, inquit Lutherus, necesse, confiteri prȩlato aut sacerdoti: satis enim erit cuiuis priuato fratri aut sorori. Ecce homo altera manu ferens lapidem, altera panem ostentans, qui dum occultam confessionem laudat: eam laicis et mulieribus fieri adhortatur et suadet. Et ideo ecce dulce uirus lȩtale mulsũ. Quo tandem deduxit ipse confessionem diuinitus imperatam: deniq; ut quilibet libere confiteatur cuilibet priuato laico, quantumlibet ignaro et fatuo, et cuiuis mulieri, quantũuis dissolutȩ et futuli, quos fraterculus iste fratres et sorores suas uocat: et ideo ne fidas api, quæ et si mel gerit ore: cauda tamen pugione ferit. Et q̃q̃ Paulus persȩpe admonuerit,

Lutherus Lutherum obsidet et expugnat.

Cõcepit antidotũ et pepe rit uenenum.

nuerit, turpe esse mulierem in ecclesia loqui. Lutherum autem contra nihil pudet, fœminis suadere, non tam in sacra ęde loqui, q̃ etiam docere confessiones audire, peccata absoluere. et interim cum ab initio mulieri dixit deus. sub potestate uiri eris: et ipse dominabitur tui: Lutherus e diuerso, diuinū ordinem subuertens, mulierculas uiris præfecit: ut eos in templis instruant: eorum peccata in confessione audiant: et sua authoritate scelera absoluāt: adeo omnia ipse in tranuerso agit: leges non minus diuinas q̃ humanas, data opera, temerans: nec causam, cur laicis et mulieribus christianus confiteri possit: tacitus pręteriit: ut ueniam, inquit, et solatium, id est uerbum Christi, de ore fratris petat. Et cum nullus ualetudinarius, nisi is demens sit; corporis sanitatem ab alio quærit: q̃ a medico, et eo docto: Lutherus tamen peccatorum ueniam, animę solacium, et uerbū Christi expiscatur, non a sacerdote, de quo dominus dicit: Labia sacerdotis custodient scientiā: et legem requires ex ore eius: Non a sacerdotibus, de quibus Christus ait: Quorum remiseritis peccata: remittuntur eis: Et iterum: Vestrum est nosce misterium regni cęlorum. Sed normam formans Christo penitus contrariā, animę sanitatem, peccatorum ueniam, et uerbum Christi est petiturus a prophano et laico, quantumuis insulso et stolido: a muliere, quātumlibet impura et stulta, quos in peccatorum suorum reuelatione, constituit sibi Lutherus auricularios a secreto: et ad animę suę salutem, pro singulari remedio et duce: quo cęcus cæcū ducat: et ambo in foueā cadūt. Et cū resuscitū lazarū noluit Christus absolui,

q̃ insauum sit Lutheri consilium.

Malachię.2.

Ioan.19.

Lucę.8.

nisi a sacerdotibus: impietas antichristica Lutheri docet, confitentem a quouis e populo absoluendū esse et a fœminis: quæ hoc solū tacere possunt: quod nesciunt: et quas præcipere uiris, aut in eos potestatem habere, Paulus nō permittit. Vt mihi quidē in hoc negocio plane uideatur, non rationibus aut scripturis, nunc refellenda, sed magis ridenda esse huius hominis stultitia: quam spersa errorū dementia, et assidua uerborum pugna, undequaq; manifestant. Taceo hæc postrema tua uerba Luthere: cum primis q̄ male cohęrent. Nanq; si id, quod superius in. 2. lib. docueris, sola fide latrinę peccatorum abunde purgantur: dixisti enim: Vide, tantum ne uilem habueris fidem: cæteris omnibus si carueris: seruaberis. Nihil sane nūc agis: ut ad emungenda facinora, uel uocalem confessionem uel absolutionem statuas: quæ fides antea, ut dicis, copiose satis eluerat. Itaq; ad id iam tua uerba te adigunt: quo aut fidem reneges: pręsertim quam tu asseris: aut certe uocalem confessionem absolutionemq;, quas hic probas: tanq̄ superuacanea quædam e medio tollas: adeo ubilibet contra te ipsum trophęa erigis: Lutherus in Lutherū epinicia canens. Et ideo ducem si quis quęrat habere cęcū, aut cōsultorem amentem: hunc modo unum suscipiat Lutherū: quo uel exoculatiorem, uel insaniorē nusquā profecto offendes alterum. Quod non potest nō palam esse: si quod mox ipse subdat: quis prudens metiatur: bona opera inquit, inueniuntur esse peccata. Quis, rogo, adeo cęcutit: qui non coram spectat hominem hunc, in eorum calculo recensendum: de quibus Esaias ait. Vę, qui dicitis bonū malum

malum, et malum bonum, ponentes dulce amarum, et amarum dulce: quando ipse modo asseuerat bonum opus esse peccatum, et rursus, peccatum esse bonum opus. Occasione quippe sic errandi, alia nulla aliũde sibi assumpta, nisi ob id: quod Dauid dixerat: Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo domine: quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis uiuens. Ecce, precor, qualiter nullus sit scripturæ locus tam sanus, tã ue dexter et rectus: quem mentes male sanę non facile obliquent, et in sinistrum uertant: nulla e cælesti patria manauit doctrina tam dilucida: quam uiciata et turbulenta ingenia non possunt uerborũ tenebris facile offundere. Nam quia Dauid in psalmo precatus est, dicens: Non intres in iudicium cum seruo tuo dñe: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: Protinus ratus est Lutherus, se solidam apprehendisse ansam: qua euestigio suaderet bona opera esse peccata. Sed hęccine Luthere est dialectica tua, plusq̃ ridenda, ex negatiua affirmatiuã subinferre, et ex nihilo aliquid colligere? atq; sic argutari, non iustificabitur in conspectu dei omnis uiuens: ergo omnia bona opera humana sunt peccata: puppim statuens sine prora. Equidem plurimũ demiror Luthere, tibi in oculo quæ trabs fuit: ut illud psal. 13. Omnes inutiles facti sunt: non est, qui facit bonum. non est usq; ad unum: tibi in mentem non uenerit: cum pro tuo instituto non uerba prophetæ, quæ tu affers, sed uerba hęc apertius et firmius facere uideantur. Q̃q̃ phrasim literæ, si prudens lector expendat: nihil est reuera: quod pro tua parte agunt. Quando non de bono opere humano, uerũ

Psalmistę itelligeutia deprauat.

de bono gratię et glorię, quod solus Christus pręstat: illic uates loquatur. Cæterum uerba ista Dauidis: Non iustificabitur domine in conspectu tuo omnis uiuens: q̄ impie ad sensum tuū detorseris: si ego tacerem Luthere: ipse tamen circūstans prophetæ sermo, non potest non clare docere. Quandoquidem psalmigraphus illic gratiam a deo precaturus et gloriam: Ait: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: ubi quatuor, ut ibi uidere possis: modo quodam ordinatissimo, pro se allegat: quibus ęternā gloriam consequuturū se sperat. Conclamat enim: Domine exaudi orationem meam: auribus parcipe obsecrationē meam: in ueritate tua exaudi me, in tua iusticia. Primo ergo pro se affert mentis suę in deum deuotionem: quæ nimirum oblatio, omnibus et corporum et reliquarū opum sacrificijs, est merito præferenda. ibi domine exaudi orationem meam: est nanq; oratio, eleuatio mentis in deum. Deinde efflagitat exaudiri ob bona opera. Veterū et piorum patrum, quales olim fuere Abraham, Isaac, et Iacob. ibi, auribus parcipe obsecationem meam. obsecrare quippe est per sacra rogare: quod si oratiōes dauidicę, aut bona opera priorum patrum fuissent peccata: frustra plane ob ea a deo uel gloriam petisset uel gratiā. Tertio Dauid, nec opera sua, nec priorum patrum q̄uis bona, tn̄ nō adeo esse bona satis agnoscēs: ut ob illa sibi uēdicare gratiam et gloriam iuste potuerat: propterea ilico se uertit ad ueritatem diuinę promissionis: qua est policitus: In quacumq; hora ingemuerit peccator peccata sua: saluus erit. diuinę promissionis uetitate confisus. ibi, in ueritate tua

exaudi

exaudi me. quia deus sicut est in promittendo misericors: ita plane est in implendo uerax: adeo in diuina promissione mia et ueritas obuiauerũt sibi. Postremo pęnitenti etiã in sacco et cinere, quia obici a deo possit: illum fleuisse, ieiunasse, orasse, elemosinas tribuisse nequaq̃ abunde, neq; pro peccatorũ conditione, ulla ex parte fecisse satis. id quidem in causa fuit: cur pœnitens hoc quarto in loco statim pro se Christi passionis iustitiam opponit. ibi, exaudi me domine in tua iusticia. Christus enim et nostra et dei patris iusticia est. nempe dei patris, in quo iudicaturus est mundum: et nostra quidem iusticia est, pro nostris peccatis abunde satisfaciens: quia copiosa apud eum redemtio. quãdo Christus est noster Abel innocẽtissimus pro nobis interfectus: noster Noe iustissimus, qui in ligno mundũ saluauit: noster Isaac obedientissimus, qui se ipsum ꝓ nobis immolauit: noster Moyses mitissimus, qui pro nobis ieiunãs, pie etiam orauit: noster Absolon pulcherrimus, qui pro nobis lancea transfossus, in ligno dolorose pependit: noster Ionathas amabilis, ĩ cruce manibus et pedibus pro nobis reptans: et ut longior troporum cathologus lectorem nõ grauet: Christus deniq; est noster Samson fortissimus, qui peccatorum nostrorum uincula dirupit: portas inferi effregit: infernũ spoliauit: cęli cacumen pro nobis ascendit: factus, ut Paulus ait: iustificatio nostra. Ipse enim, ut hominem iustificaret: omnia sua pro homine dedit, sanguinem ad lauandum, carnem ad redimendũ, animam ad deum, illi placandum: ut eo demum pacto pro toto mundo iustissime satisfaceret: et deum patrem nobis

pacificaret: adeo in Christi passione iusticia et pax osculatę sunt: quemadmodū et in diuina promissione misericordia et ueritas obuiauerunt sibi. Dicit igitur Dauid: Bona opera mea, aut priscorum patrum domine, condigna non sunt ad futuram gloriam: quæ reuelabitur in nobis: confido nō eo minus me illam consequuturū, in ueritate promissionis tuę et iusticia passiōis Christi, sine quibus si intraueris in iudicium cum seruo tuo domine: non iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuens: e quibus uidere iam possis Luthere, si sensus communis tibi non defuerit: uerba Dauidis nihil pro te, sed aduersum te modis omnibus militare: quoniam si orationes et bona opera, uel sua, uel priscorum patrū, credidisset Dauid esse peccata: casso nimirū sudabat precamine, ob illa, gloriam a deo rogare uel gratiam: Nec olim quidem ausus fuisset Dauid unq̄ dicere deo: Iudica me deus secundum iusticiam meam, et secundum innocētiam meam super me. Si omnia opera sua existimasset olere e sentina scelerū: Et quod sceleratius est ac magis impium Luthere, quomodo Christum in euangelio nō mendacē facis et uanū? qui publicanū propterea iustificatū docet: ꝙ facinus suum agnoscens, sceleratā uitā deplorās, ac pectus tūdēs, se ipsum humiliauit? Nō enim propter peccata, deū mortales iustificare dixeris: nisi Oreste fueris insanior. Nec tibi, ut omnia bona opera humana peccata esse subinferas: adminiculū pręstat illud Esaię: Omnes iusticię nostrę quasi pānus menstruatę. Nam humiliter hoc dixerat Esaias, non aliter, q̄ se recensens in numero iudæorum: qui eo tempore ad ydolatriam collapsi,

omni

omni panno menstruato sorduerunt uiliores. Proinde nihil nunc agis: ut uniuersa bona opera fideliũ iam facinora esse concludas: quia tum omnes iusticias ydolatrantis populi cum panno menstruate Esaias contulerat. Nec dicere quidem uere possis, orationes et elemosinas Cornelij, quę exauditę sunt apud deum, etiam ante professam Christi fidem, fuisse peccata: cum, teste euangelio, Peccatores non exaudiat deus. Nec mihi in hoc negocio, recte obiectaueris illud Paulinum: Omne, quod nõ est ex fide: peccatum est. Roma. 14. Quandoquidem non de fide, quæ theologicarum uirtutum prima est et basis: Verum de fide, quæ est conscientię credulitas: certum est Paulum eo in loco fuisse loquutũ; id quod ipsa scripturæ circũstantia haud obscure indicat. Nam idolotita, quorũ illic comminiscitur Paulus: Tametsi inculpate edere cuiuis licuerit: Vt quod intrat per os, non coinquinat hominem: Tamen si eis uesci, nephas credideris: Nec eo minus pungente te conscientia tua, non peperceris uorare: capitale plane est: quod agis: Quatenus aduersus cõscientię tuę fidem aperte cõmiseris. Nihil ergo in hac re tibi Luthere cũ Paulo: cum fidem in præsentiarũ non pro theologica uirtute, sed conscientiæ credulitate Paulus acceperit. Proinde nemo orthodoxorũ est Luthere, qui tibi in hac re unq̃ credet: Nisi scripturas, sine quibus nihil credẽdũ doces, nobis attuleris: id quod ne tantillũ quidẽ possis. licet id insipientia saphistica frustra eniteris.

LVTHERVS.

SAtissfationem q̃ indigne tractant: abunde dixi in caussis indulgentiarum: primum eam sic docuerũt: ut po-

pulus ueram satisfactionem non intelligeret: ut homines arbitrentur sese deo per opera pro peccatis satisfacere: cui sola fide cordis contriti satisfit. Quanta, quęso, pars ea est imbuta opinione: se esse in statu salutis et pro peccatis satisfacere, si preculas a sacerdote impositas, uocetenus murmurauetit: etiam si interim nec cogitet quidem uitę rationem emendare: Quomodo aliter saperent: qui aliud non docentur.

Mendatia tanq̃ stamina texit.

POVELVS.

LVTHERVS autem, quē materna ubera mendacijs imbuerunt: et qui errans ab utero loquutus est falsa: quid, rogo, sibi modo phas esse non putat? quādo in hoc natus uideat: ut omnia facere et dicere impudens audeat: de catholicis cuncta imaginari, fingere, mentiri, et scelera ea, quorum solus ipse conscius est: orthodoxis impropérare. Quanta, inquit Lutherus, pars ea opinione est imbuta, se esse in statu salutis et ꝓ peccatis satisfacere, si preculas a sacerdote impositas uocetenus murmurauerit: etiā si interim nec cogitet quidem uitæ suæ rationem emendare. Nam quomodo, inquit, aliter saperent: quando aliud non docentur? Sed hoc in loco rogo uehementer Lutherum: ut citra bilem cum patientia audiat: et hoc unū mēdacium, si cum eo triumphare uelit: pluribus adhuc mendacijs firmet: necesse est. quis enim catholicorum unq̃ sic docuit? quis christianum populū sic aliquando instruxit? preculas a sacerdote impositas, et si pientissimas, uel etiā ieiunia seuerrima, seu elemosinas largissimas, aut certe alia optima quęq; opera, pro peccatis posse satisfacere: nō deserta

Commētum nudatur. Lutherri.

ſerta prius peccandi uoluntate? Quando euangelium pacem ęternam non concedit, niſi hominibus bonę uoluntatis. Quis ergo hoc quandoq; aſtruxit? quis hoc uſquã populum erudierit? niſi unus Lutherus: qui omnia peccata, et cætera cuncta damnatione digna, ſola fide purgari cõtendit? Stet, inquit Lutherus, fides: et per eam cætera cũcta peccata in momento abſorbentur. Hoc quidem ſolus Lutherus dixit: aut ſi alter quiſpiã citra eum hoc dixerat: illum iam nominans in medium afferat: ut in eo errore ſaltem ipſe comitem uel unum habeat. Quem ſi apportare non poſſit: hoc ex pectoris ſui felle finxiſſe quis dubitat? mendacijs nunq̃ finẽ faciens? Sed non eſt profecto: quod admirari multum debeo. Nam qui de Paulo et euangelio impudenter multa mentitur: ſtupendum non eſt: etiam ſi de alijs plura mentiatur. At hic quidem Lutherus etiã dicit: Docuerunt, inquit, populum, ſic ueram ſatiſfactionẽ non intelligere: ut arbitrentur ſeſe deo per opera, pro peccatis ſatiſfacere: cui ſola fide cordis contriti ſatiſfit. Ecce, per ieiunia, orationes, elemoſinas, et cætera miſericordiæ et pietatis opera, quę a mortalibus fieri deus ipſe diſtricte ſatis iubet: Nõ uult modo Lutherus: ut pro peccatis deo ulla ſatiſfactio fiat: ſed ſola, inquit, fide cordis contriti illi ſatiſfit. Hoc tametſi in ꝓpatulo tam falſum fuerit: ut noſtra confutatione nõ egeat: tamen mendacem non decuit eſſe imemorem. Nam antea dixerat: Cũcta peccata expiari ſola fide promittentis dei: Nũc autẽ rudentes et remos ſimul cum armis commutans: Aſſerit ea targi, ſola fide cordis contriti. Putas enim Luthere: ꝙ tunc fortiter ui=

ceris: si in cunctis tibi ipsi fortiter contradixeris. Magna ergo et ea quidem ineffabili prouidentia ecclesię suæ prospexit seruator noster Christus: qui quamuis eam hęreticorum turbelis uexari, uexatamq; ꝓbare uoluerat: eorum tamen superbiam, benigne cum ecclesia sua agens, ita moderauit ubiq;: atq; seuientiũ maliciam pro sua clementia, sic attemperauit: ut sicut offendebatur eorũ nemo: qui ab alio nõ uehemẽter dissidebat: Ita prorsus inter eos nullus fuerat: qui secum constaret. Nullus, qui in omnibus sibi ipsi consentiret. Nullus, qui cum se ipso non infeste pugnaret: Id quod nũc omnium pinguissime iste facit Lutherus: Qui, fugiente ab eo spiritu ueritatis, adeo in nullo possit sibi ipsi quadrare: Vt rarus sit locus: ubi cum se ipso non aperte committit.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

LVTHERVS.

O belle cauillum pro causa reddit.

SVperest de reliquis quoq; sacramentis aliquid temptare: ne sine causa uidear ea reiecisse. Mirum est: quid in mentem illis uenit: ut sacramentum confirmationis facerent ex impositiõe manuum: qua legimus Christum paruulos tetigisse, apostolos dedisse spiritum sanctum, ordinasse presbiteros, infirmos curasse: ut ad Timotheũ Paulus scribit: Nemini manus cito imposueris. Si autem sacramentum est: quicquid apostoli fecerunt: cur nõ magis prædicationẽ fecerũt sacramẽtũ? Non hęc dico: ꝙ dãnem sacramenta septem: sed ꝙ e scripturis ea probari negem.

Pouelus.

POVELVS.

LVTHERVS uero, ut ſacramentum confirmationis potenter expugnet: ad bellum procedit: non ſcripturis, ſed ſtrophis uallatus et nugis, aduerſus eccleſiam perinde pugnans, atq; arundineo baculo murum ferreū moliretur arietare: nec negocium rationibus agit: ſed mēdacijs ac ſcōmis omnia gerit: ęgregius inter ſimias. Si enim ſacramentum eſt, inquit, quicquid apoſtoli fecerunt: cur non magis prædicationem ſacramentum fecerunt? Hoc quippe nugandi genus, germanum ſemper Luthero fuit: ut id primo fingat: quod ipſe poſtea alijs obijciat. Quis enim aliquando dixit, eſſe ſacramentum quoduis ab apoſtolis factū: licet aliqua ab illis facta, ſacramenta eſſe theologi affirment? Niſi q̄ omnia fingere et mentiri Luthero liceat: et id quidem in aperto: cum mendacem ueriſimilia dicere oporteret? Deinde homo Huſſitiſſimus, confirmationem eſſe ſacramentum ideo negat: quia ſcriptura, inquit, hoc non probat. Ecce, eandem paſſim pulſat chordam, ſed ſemper male cordantem: in apertis ſcripturis nō poteſt hoc, inquit, reperiri: ergo non debet credi: quā argumentādi ineptiam Huſſitis domeſticā, et toties nobis recātatam: tametſi primus liber aperte ſatis exploſit: mihi tamen ad hanc rem non uidetur infrugiferum: ſi nunc uerba Ioannis penultimo, non oſcitante animo audiamus. Multa quidem et alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum, inquit: quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: nec per librum hunc intelligere poteſt Lutherus ſolum euangelium Ioannis: Cum id ſequentia eius uerba prorſus ſe

Q̄ herculea Lutheri arma.

Eandē ſemper tundit incudem.

Ioan. 20.

Ioan. 21.

Ioan.21. moueant. Nam sequente capite Ioannes ait. Si Christi facta per singula scriberētur, inquit: ipsum nō arbitror mūdum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Multa ergo sunt Christi facta, in conspectu discipulorum et signa: quæ nunq̄ fuere literis cōmendata: illa tn̄ multa, quia extāt Christi facta: credēda sunt: licet scripta nō sunt. Quid igitur, si inter illa facta et signa Christi, in conspectu discipulorum et non scripta: fuerunt etiam instituta ipsa sacramenta septem, cum suis signis: et sic a Christo ecclesię tradita? An ideo neganda sunt: quia scripta non sunt? Non est bonus profecto dialecticus Lutherus etiā hoc tempore. Ac rursus quidem, cum euangelium scriptum in cordibus hominum sit antiquius omnibus codicibus euangelistarum: quid, si in brutorum membranis euangelia nunq̄ apparuissent. sed ea, quæ in euangelijs habentur: a Christi discipulis, et eorum successoribus, potius per prędicationem ad nos discendissent? An illa iccirco a nobis credi non debebant: quia in mortua pelle scripta non fuerant? Porro nihil ipse sapit: qui sic sapit. Nū ideo simbolū apostolicū eorum esse negandum est: quia eorum esse, scriptura non dicit? Nempe et simbolum illud uulgatum, ab apostolis fuisse profectū, licet scriptura hoc nequaq̄ dicit: ipse tn̄ Lutherus asseuerat: Tametsi quidā nostrę tempestatis rabinus, uir alioqui non paucorum æstimatione doctus, in suis scriptis de eo dubitare iam cęperit. Quod si de hoc quidem ambigere, orthodoxo homini aliquādo phas fuerit: profecto et hęsitare una licebit: quatuor euangelia, quatuor euangelistarum esse. quandoquidem nullum est

eorum:

eorum: quod non ęque ab ecclesia accepimus: uidelicet et illud ab apostolis olim fuisse ęditū: et ista ab euangelistis quondam promanasse: et iccirco qui in uno illorum titubat: necesse est plane: ut in altero uacillet. Quamobrem hoc q̄ male suboleat: quibus emūctæ sunt nares: nō possunt non facile sentire: uerum alias de hoc tempestiuius. An constante fide tenendum non est, Christum post resurrectionē matri suę apparuisse, aut apostolos fuisse baptizatos, uel etiam pro Christo enecatos: Quia e scriptura nobis ista non produntur? Præterea, an quia diuę christiferę Marię perpetuā uirginitatem scriptura sacra nō mōstrat: Quin et Heluidius hæreticus, e scripturis longe aduersum se probare putabat: ideo a christiano capite credi non oportuit, etiam deiparam semper mansisse uirginem intactam? Aut certe a sacerdote aquam cum uino in calice non miscendā: quia scriptura hoc non docet? Rursus quidem et in re profecto multo omnium maxima, uidelicet in eucharistię consecratione, ecclesia primitiua et apostolica, tria nobis tradidit, in canone missę syncęre seruanda: uidelicet eleuatis oculis in cęlum: deinde misterium fidei: ac tertio noui ac æterni testamenti: Quę tria nullibi in scriptura haud dubie habentur comperta: et tamen ecclesia catholica ista ab initio tradidit: et ea semper credidit. Porro Paulus posteaq̄ apud Corinthios de eucharistia, deq; ei9 usu, nonnulla uerba ęgregie fecerat: ilico subiecit. Cętera, inquit, cum uenero, disponam. Quo nimirum facile intelligas, non tam a Paulo, q̄ a cæteris apostolis, multa olim fuisse christiano populo solo sermone tradita pręceptaq;:

quæ

quæ nequaq̃ literis fuerant cõmiſſa unq̃: nec eo ſetius illa tñ fuiſſe credenda pariter et facienda: ceu quæ diuino ſpũ erant imperata. Et iterum nonnulla quidem et ea grandia in uetere teſtamento diuino præcepto a ſacerdotibus extabãt ſeruãda: quę nulla ex parte explorabant̃ illic ſcripta: ſed fuere ſolo uſu et exercitio illis tradita: quemadmodum luculẽter erudit nos apoſtolus ad hebręos. Lecto, inquit, omni mandato legis a Moyſe et uniuerſo populo, accipiens ſanguinem uitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccinea et yſopo, ipſum quoq; librum aſperſit: Nuſquã tamen per cunctam priſcę legis ſeriem in id genus dedicatione teſtamenti fit ulla mentio de ſanguine hircorum: ſed dumtaxat duodecim uitulorum: nec ullus ſermo uerſatur de aqua, de lana coccinea, de yſopo, uel ullibi in dedicatione teſtamenti comminiſcitur uetus inſtrumentum de aſpertione libri, ſed ſolius populi. Et q̃uis in dedicatione ueteris teſtamenti de his per totum corpus uetuſtę legis nihil prorſus memorię habeatur: Iſta tamẽ hebręis credenda eſſe Paulus cõſtãter docet: et iccirco clam eſſe nequeat: patentiſſimum conſequens eſſe in uetere teſtamento multa a ſacerdotibus credenda pariter et agenda fuiſſe: quæ neutiquã illic ſcripta explorantur. Sed illis haud ſecus q̃ uſu tradebantur. Atq; ut tandem quoq; exemplorum modũ habens, hic finem faciam. Lutherus nanq; credit baptiſmum eſſe ſacramentũ eo modo, quo noſter uſus habet: et tamen in uniuerſa ſcriptura: ut Lutherus ipſe inferius cauſatur: non habetur ſacramentum in ea ſignificatione: qua nos accepimus: ergo ipſe etiã aliqua credit: quę nuſq̃ in ſcriptura

Hebrę.9.

Suo gladio Lutherus percutitur

in ſcriptura ſunt cõperta. Omitto Luthere, ꝙ in aſſertionibus tuis, articulo.37. negas e ſcriptura modo canonica ſit, purgatorium uſq̃ poſſe probari: nec eo ſecius illic aſſeris te purgatorium conſtanter credere: perſuadens etiam hoc alijs credendum. Credi ergo aliquid debet, te authore, quod ſcripturę nõ docent. Iſta lector, ſi clarius cognoſcere cupias: ipſe a ſecũdo libro petas. Stulta eſt ergo huiuſcemodi dialectica, et riſui profecto habenda: hoc in ſcriptura non habetur. ergo credere nemo tenetur. Cęterum modo te ipſum Luthere conuenio: an quatuor euangelia credis eſſe quatuor euangeliſtarum: uidelicet Matthæi, Marci, Lucæ, et Ioãnis. Si credis? Hoc certe ita eſſe nulla ſcriptura probas: niſi ꝙ dumtaxat titulorum prępoſitura, qui non ſunt de ſcripturis: ſed humana appoſiticia: ita ſe rem habere nobis inſinuat. Quãobrem ſi credis Luthere quatuor euangelia quatuor euangeliſtarum eſſe: nõ quia ſcriptura hoc ꝓbat: ſed quia eccleſia ſic docet: Cum a temporibus apoſtolorum, ut futurus ſermo docebit: ſeptem eſſe ſacramenta eccleſia catholica ſemper docuit: cur et in hoc etiam illi non credis? quando ab uno eademq; eccleſię doctrina, tanq̃ a radice, utriuſq; ueritas ęque oriatur et pullulet. Proinde ſimile quidẽ faſcin⁹ ac par quoq; eſt impietas: ſeptem ſacramenta, ęque atq; quatuor euangelia negare: cum ab una eademq; eccleſiæ authoritate utrũq; ęqualiter naſcatur et germinet. Et q̃uis mi candide lector Lutherus ſacramẽtum confirmationis hic prorſus neget: nihil tamen abeſt: ut ipſum iam ilico concedat. Non hæc dico, inquit Lutherus, ꝙ damnem ſacramẽta ſeptem: ſed

ꝙ e scripturis ea probari negem. O hominem uafrum et uersipellem: quē huc atq; illuc tergiuersantem, sua sophismata premunt. In huius operis frontispicio dixit. Negāda sunt mihi, inquit, primo septem sacramenta: hic autē dicit: Se septem sacramenta non damnare. Rursus in ipso huius capitis uestibulo dixit: Se non sine causa septem sacramenta reijcere: Nunc autem dicit: Se nolle ea damnare: adeo est homo instabilis, uarius, inconstans, nunquā aliquid certi habens: quod afferat. Affirmat, negat, concedit, renegat, torquet, inculcat, construit, destruit, ac demum omnia confundit. Vt te uehementer puderet Luthere: si tibi ulla frons esset: tot tamq; aperte pugnantia hic passim disseminare. Verū si septem sacramenta modo non damnas Luthere: cur negas? Rursus si negas: cur non dānas? Vel si quod uerissimum est: Septem sunt sacramenta: profecto dum non damnas: ea tacitus ipse probas. sed cur septem sacramenta non palam profiteris et laudas? Nēpe quia non dei: sed propriam gloriam quęritas: Et tñ contra sacramentorum fidem pugnans: dum palmam speras: tua te fustis excerebrat. Quia pēdet Amon patibulo: qđ ipse parabat Mardocheo. Nec est plane cur acrimonię in Lutherum me quisquā iuste incuset: quando mitius equidem cum eo agendum putassem: si uel lenitate poterat mōstrum placari: uel citra piaculum heretico parci.

Q; fortiter cum se ipso Lutherrus cōgreditur.

Hester. 7.

LVTHERVS.

VTINAM esset in ecclesia talis manuum impositio: qualis erat apostolorum tempore: siue eam confirmationem siue curationem uellemus appellare. At nunc nihil

Generatio adultera et peruersa signa quęrit.

nihil eius relictum est: nisi quãtum ipsi excogitamus, pro ornandis officijs episcoporum: ne penitus sint sine opere in ecclesia. Nam episcopus non euangelizans, nec animas curans, quid est, nisi idolum in mundo, nomen et figuam habens.

POVELVS.

POSTEAQVAM septem esse ecclesię sacramenta: euidentibus ꝓbari scripturis Lutherus postularat: nũc confirmationem sacramentum esse prodigijs et miraculorum signis, ostendi ualde desiderat. Vtinam, inquit, esset in ecclesia talis manuum impositio: qualis erat apostolorum tempore: siue eam confirmationem siue curationem appellare uelimus. Ecce homo, nisi signa et prodigia uiderit: nõ credet: Apostolorum autem tempore, diuus olim extabat Dionisius Pauli discipulus: a Paulo ad tertiũ usqꝫ cælum rapto edoctus. Is non tam confirmationem q̃ cętera ecclesiæ sacramenta firmiter credidit: constanter docuit: et ea in libris suis, alijs credenda pariter et docenda, libere reliquit. Cuius fidem atqꝫ doctrinam deus magnis portentis ornauit: et multis etiam miraculorũ signis confirmauit. Proinde cum nec falsitatis testis nec autor deus esse queat: cur cõfirmationem, cæteraqꝫ ecclesię sacramẽta Lutherus non credit? sed alia prodigia nouaqꝫ miracula, ut sacramẽtorũ fides roboret̃, a deo ipse iã quęritat? Verũ generatio praua et adulterã signum quærit: et signum nõ dabitur ei: Abunde enim satis sibi esse debuisset: quod pi- Matthęi. 12.
entissimorum uirorum: qui septem ecclesię sacramenta cõstanter non tam crediderunt: q̃ docuere eorum uitam, il-

 luminatione

luminatione cæcorum, mortuorum resuscitatione, et alio nonnullo ingente signorum stupore, deus olim mirum in modum insigniuit: et non iam ad sacramenti confirmationis probationem, nouas corporum sanationes, noua rerum prodigia hodie rursus postulare: Et ideo qualis et q̄ sit incredulus: palam uel hac una re Lutherus modo se ꝓdit: quando in confirmatione, nō animæ sanitatem a deo uigorandam (cum sit a Christo ob id instituta) sed corporis dumtaxat incolumitatem roborandam ipse expectat: nihil de animę, sed homo totus de corporis sui sosspitate sollicitus: quasi anima nulla sibi fuerit: quę aliquando sanari debeat: effectus uir egiptius fastidiens mãna, et esuriens cepas et allia, corporis sanitatem curans et animæ salutem cōtemnens. Quod uero Luthere addis. Episcopus non euangelizans, nec animas curans: quid est nisi idolū in mūdo, nomen et figuram habens? Quippe nos scimus apostolorum prædicatione, Christi ecclesiam longe lateqꝫ per orbem, olim fuisse propagatam: atqꝫ oportere nūc eã eisdē conseruari artibus: quibus ab initio fuerit parta: Et ideo si episcopi usquã tales fuerint: quales in felle tuo eos prædicas: ut nec uerbū dei euangelizent: nec animas curent: quod deus ipse longe prohibeat: culpam profecto intollerabilem in scapulis suis portant. Sed quid hoc ad te Luthere? qui hęresum manticam a tergo tuo pendentem, ipse non uides? Missas ergo fac Luthere istas in principes ecclesiæ indignas contumelias: quia accipitrem ingenuū, quem lapidibus petis: tibi profecto aduolare, haud recte inuitas. Primo enim tua si calleres: q̄ aliena errata corrigeres:

res. Vnde ſi quæ iam in epiſcopis criminaris, etiam haud ſecus ſe haberent: tamen ferres: non culpares: quod mutare non poſſis: Vel ſi tantum forte officij et authoritatis tibi arrogare uoluiſſes: ut ſuperiores tuos carperes: cum Paulus mandat: Seniorem ne increpaueris: ſed obſecra ut patrem: ſaltem tibi os et labra loquendi, non malitię, non odij flamma: ſed ſolus charitatis ardor apparuiſſet: Modo uero quia non amore, ſed liuore concitatus, acetoſo calamo hæc ſcribis: te ipſum, qualis ſis: detegis: et penitus alijs nihil proficis. Quippe chriſtiano homine Luthere nihil unq̃ fuerat indignius: q̃ ut in pręlatos ſuos, utcunq; indoctos, aut parum probos, ſe talem aliquãdo prebeat: qui in eorum odium uel populum excitet: uel a dignitatis arce (modo eos deus ferat) præcipitare deſudet. Id quod tu aduerſus Romanũ pontificem et eccleſię epiſcopos dire temptas. Verum nunc audi mi frater Luthere: Fuit enim Heli ſacerdos in ſynagoga ſummus, tanto ſane officio ob ſuam culpam indignus: ob filiorum autem faſcinora multo indignior: Quandoquidem erant filij Heli, filij Belial, neſcientes dominum, neq; officium ſacerdotum ad populum. 1. regũ. 2. Qui tametſi in ſacerdotio tam improbi tãq; impij fuerant: Vt uniuerſę plebi intollerabiles merito uiderentur: Nõ eo minus recuſarat omnino deus: Vt ſacerdotes ſuos prophani, principes plebei, prælatos ſubditi, aut arguere ſeu caſtigare unq̃ ſibi arrogarent: aut certe in eos authoritatem uel uendicarent. Verũ Heli ſacerdotis filiorumq; eius correptionem ac pœnam, longe alijs, Nẽpe Philiſteis: quos deus poſtea euerſurus fuerat: omnino reſeruauit.

I. Tim. 5.

I. regũ. 2.

ſeruauit. Quia hoc nimirum maxime conueniebat : ut ab impijs egrederetur impietas. Nec eſt Luthere quiſpiam : modo ſcripturā foris uel in pelle nouerit : Qui neſcit Iohel et Abiam, filios Sammuelis ſacerdotis ſummi, et principes in populo, principum officia peſſime adminiſtraſſe. Quippe accepiſſe munera, et peruertiſſe iudicium. 1. reg. 8. Tamen quod populus nequitia eorum prouocatus; illos tribunalis ſtudebat priuari faſtigio : regem ſibi efflagitās: Vſq3 adeo deo cordi non fuit : Vt ea re grauiter offenſus, Sammueli diceret : Non te proiecerūt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Eo aperte mōſtrans, illum qui poteſtati reſiſtit diuinę ordinationi reſiſtere. Ad hæc Luthere ſcripturę nō ignota hiſtoria eſt. Dauid in regem Iſrael iubēte deo unctionē ſuſcepiſſe: rege Saule iā ante reprobato: Sed adhuc tamen apud Iudæos, Iſraeletici regni habenas moderante. Qui ob perdendi imperij metum, habens ſibi Dauid ualde formidoloſum : perſecutionem in eum mouit hoſtilem : Quam et ſi nec poſtea depoſuerat unq̄: Tamen Dauid, cui uerus erat imperij titulus, Saulis imperiū, uel potius tyrannidem patienter ferens : Adeo in illum non tam uiuum, q̄ etiam mortuum ſuam charitatem diffuderit : Vt primo Saulis ſuperſtitis, abſciſſam chlamidis oram uehementer deploraret. 1. regū. 24. Ac poſtea eius interfecti in prelio necem, tanto planctu defleret : Vt in lachrymis et eiulatu diceret. Montes Gelboe, nec ros, nec fluuia ueniant ſuper uos: Quia ibi abiectus eſt clipeus Saul, quaſi nō eſſet unctus oleo. Filij Iſrael ſuper Saul flete : qui ueſtiuit uos coccino in delitijs: qui prebebat ornamenta aurea cul-

tui

tui ueſtro.2.regũ.1. Vides ergo hic Luthere: Dauid uatẽ diuinis oraculis ęgregiũ: Cum rex Iſrael eſſet: tñ in Saulẽ tyrannum patientiam charitatemq; ſeruaſſe, atq; chlamidis illius fleuiſſe ſciſſuram. Tu uero pro charitate maliciã, pro patientia furorem, in Romanum pontificem et epiſcopos exercens: catholicæ pacis ſciſſuram, quam peperiſti: quomodo in ſacco et cinere non luges? Corpus quondam Saulis mortui, planxit Dauid planctu lugubri: Chriſtianas autem animas Luthere, quas erroribus uulneraſti: hęreſibus enecaſti: cur in ſuſpirio et lachrymis nõ deplãgis? Niſi quod uulgo et uere dicitur: Solere utiq; inſanum inſaniam ſuam ridere citius q̃ deflere. Patientiã enim et charitatem, in ſuperiores tuos etiam quantumlibet iniquos Luthere, nonnulla ſcripturę alia te docent exempla. Sed quid attinet, numeroſis in hac re exemplis, quę ſacri codices nullibi non habent: te diutius remorari? Quando id, quod cum ſcribis et phareſeis, qui in ypocriſe et tyrãnide ſynagogę gubernaculum tenebãt: Chriſtus geſſerat: nobis in exemplum, uel ſolũ poſſit ſufficere? Enim enimuero Chriſtus, qui eſt nobis magiſter et dominus: Rem aliã plus deteſtatus nullam: q̃ ſubditorum in rectores factionem et ſuperbiam: cum cerneret ſcribarum et phareſiorũ in populum tyrãnidem: eo proceſſiſſe: Vt gregis a paſtoribus minaretur diſſidium: tãtam ſubnaſcentis morbi peſtem, ſapiente antidoto pręueniens: In primis pacem admonuit, membrorum cum capite: gregem cum paſtore cõcordiam habere: populares ſuos primores, quantumuis ſeueros et male probos ęquanimiter ſuſtinere. Sederunt, inquit,

Matthęi .22 inquit, super cathedra Moysi scribę et pharesei: Omnia, quęcũq; dixerint uobis: seruate et facite: secũdum autem opera eorum nolite facere. Quis, precor, nescit Christum hoc loco, iudæorum populo in eorum rectores, sic humilitatem et patientiam mandasse: Vt suis præfectis, q̄q̄ impijs, tamen omnino parerent. Adeo ab arrogantia et factione suos abhorrere, Christus semper docebat: quod tu quidem Luthere fecisses: si tibi Christum pro monitore accepire non dedignatus esses.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

LVTHERVS.

DIximus in omni sacramento haberi uerbum promissionis diuinę: cui credi oportet ab eo: qui signũ suscipit: nec solum signum possit sacramentum esse: nusquã autem legitur: aliquid gratię dei acceptutũ, quisquis uxorem duxerit. Quin nec signum est diuinitus institutum in matrimonio: nec usquã legitur a deo institutũ: ut aliquid significaret: deinde cum matrimoniũ fuerit ab initio mũdi apud infideles: nullę rationes subsunt: ut sacramentũ nouę legis, et solius ecclesię possit dici. Ad hęc sunt apud infideles quoq; impij cõiuges, quibusuis gẽtibus peiores. cur hic sacramentũ dici debet, et non apud gentiles?

Fragili pugnat arundine.

Scipioni nititur præfracto.

POVELVS.

IN sacramento utiq; matrimonij tria quoq; pręclara bona esse, tametsi Augustinus catholice admodum affirmet:

met: uidelicet fidem, prolem, et sacramentum: fidem, ut ab utroque promissio syncere seruetur: proles, ut non tam ad terrenam uitam, quam ad cęlestem bene et religiose educetur. Sacramētum: Vt unitas Christi cum ecclesia in charitate signetur: quemadmodum Paulus ait: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo et ecclesia. Tamen matrimonium pro sacramento haberi, Luthero plane ualde displicet: qui magna quidem ambitione affectat, matrimonium suo honore (quem illi Paulus tribuit: dicens: Honorabile connubium thorus immaculatus in omnibus) prorsus spoliare. Quia in omni sacramento, inquit, est uerbum diuinæ promissionis. Nusquā autem legitur aliquid gratię dei accepturum, ait, quisquis uxorem duxerit. At Lutherus quippe et si matrimoniū esse sacramentum esse neget: tamē in matrimonio, duo esse eximia bona ipse non negat: uidelicet fidē coniugalem, ut utrinque inuiolate teneatur: et prolem natam, ut ad pietatem diuinumque cultū honeste et religiose nutriatur. An pro tantis bonis a deo, qui nullum bonū expers premij destituit: nihil mercedis, nihil diuinæ gratiæ coniugatus ex diuina promissione sperabit? prophetam ipse uel inuitus audiat. Generatio, inquit, rectorum benedicetur. Benedictio ergo ęterna generationi rectorū spondetur: Et quę est, precor ista generatio rectorum: nisi eorum, qui coniugij fidē incontaminate seruant: et piam ac religiosam prolis educationem diligenter curāt? Cur ergo ais Luthere nusquā legi aliquid diuinę gratię accepturū quisquis uxorem duxerit. Quando generationi rectorum est ęterna benedictio Psal. III.

DD pollicita?

pollicita? Aut quid diuinam promissionem in hac re a no bis tam exacte ac rigide quęrit: quãdo Paulus ait: Salua-
I. Tim.2. bitur mulier per filiorum generationem: si permanserit in fide: Ecce propter bonũ prolis, mulieri salus æterna promittitur: si permanserit in fide. An forte uiro, qui est caput mulieris ob id in hac re est exilior aliqua facta promissio? In matrimonio ergo manifesta apertaq; est diuina ꝓmissio. Rursus cur quęso Luthere, in mentem tibi Paulus ipse non uenerit: qui matrimoniũ uocat thorum immaculatum in omnibus? nimirum ubi nulla est macula animã conspurcans: ibi haud dubie est gratia illam purificans. citra enim diuinã gratiam, nulla unq̃ mentis repurgatur macula: et iccirco qui matrimonium thorum absq; macula nuncupat. profecto eum dei gratia exornatum esse nequaq̃ obscure commonstrat. Cur ergo mendacijs omnia farcis Luthere: nusquam legi aliquid gratię accepturum, quisquis uxorem duxerit? cum thorũ matrimonij Paulus immaculatum uocauerit? Sed insistit adhuc Lutherus urgens, diuinę promissionis signum quærens. Sed quid est rogo: quod a nobis diuinæ promissionis signum procus noster tam importune sciscitatur, et nõ potius a patre suo Adam cunctorum mortalium? (Si unum Christum seponamus) citra contrauersiam longe sapientissimo? Interroget ergo patrem suum: et dicet ei: Ipse enim cum summa dei archana de Christi incarnatione in paradiso contemplatus fuisset: In spiritu sancto dixit: Hoc os de ossibus
Genes.2. meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhęrebit uxori suæ: et erunt

duo

duo in carne una. His uerbis significãs nobis, ut Augustinus ait: Ecclesiam ita suscitandam esse de latere Christi dormientis in patibulo: ut Eua formata extiterat ex latere Adę dormiẽtis in paradiso: Atq; eam quoq; Christo spirituali matrimonio in charitate copulãdam. Hic quidem in uia per gratiã, ac alibi in patria per gloriam: hoc quippe tam grande et magnum futurum beneficium, deo sic instituente, significabat matrimonium illud carnale primorum parentum: sicuti ipse Paulus ait. Sacramentum hoc, inquit, magnũ est: ego autem dico in Christo et ecclesia. Vt perspici iam clare possit: nisi cęcutire quis spõte uelit: ipso Paulo teste: In matrimonio apertũ diuinę promissionis signum haberi: uerum ex hoc apostolicę authoritatis uinculo: ut possit se Lutherus expedire: in labyrintho Dedali totus sudat: illic se ipsum fatigans et premẽs: si quo modo forte inde effugiat: licet filum non habeat: quo se posse reduci confidat: id quod consequens caput di lucide monstrabit. Modo uero sat erit ex scripturis ostendisse, in matrimonio non solum diuinę promissionis uerbum, sed etiam eiusdem promissionis signum contineri. Apponit interim Lutherus inter infideles etiam matrimonium esse. Nec id quidem inficiamur: sed addat ipse fidẽ: non eam modo quæ est uirtus moralis et pars Iusticię, sed etiam quæ est diuina et theologica: Et erit plane sacramẽtum: uerũ cogis adhuc Luthere instans, plerosq; cõiuges christianos infidelibus peiores. Quid tum? simul et baptizatos reperies: quibusuis ethnicis nequiores: nec ob id tamen baptisma, in his minus conceditur esse sacramen-

Lutherani sophismatis dissolutio.

Ridicula lutheri nugacitas.

tum. Nō est ergo, cur uerba ista Lutheri catholica aut uera censeri debeant: ob id qd' ea lenocinio decorauit uerborum: non magis profecto q̄ commune scortum pudicitiā suboleat, quia purpura uestitur, aut auro tegitur obriso.

LVTHERVS.

AT dicent: apostolus dicit Ephesios.5. Erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnū est: Tu ne ergo tam euidenti apostoli uerbo contradices? Respondeo et hoc argumentum esse magnæ oscitantiæ, indiligentis, et incōsultęq; lectionis. Nō enim habet uniuersa scriptura hoc nomen sacramentum in ea significatione, qua noster usus: sed in contraria. ubiq; enim significat non signū rei sacræ, sed rem sacram, secretam, absconditam. Et ideo ubi nos habemus sacramentum: in græco misterium ponitur. Christus itaq; et ecclesia misteriū, id est res secreta et magna: quæ figurari quidem per matrimoniū, ceu reali quadam allegoria potuit et debuit. Vnde Paulus Ephesios.5. Verba illa de matrimonio, Genes.2. dicta: uel proprio spiritu ad Christū trahit. Sit ergo matrimoniū figura Christi et ecclesiæ sacramentum: non autem diuinitus institutum, sed ab hominibus in ecclesia inuentum, ignorantia tam rei q̄ uerbi abducttis. &c.

cū nō possit uero tuetur se mēdacio.

Iniqnitatē i excelso loquutus est.

POVELVS.

TVrpissime enim se euictum fore, Lutherus satis cernens: et de errore suo iam funditus actum esse: nisi uerba Pauli ad Ephesios.5. possit aliquo pacto uel apparenter absoluere. Propterea bathologus iste per quædam longa ac diffusa uerborum inuolucra, tam elegāter et scite

in hac

in hac re mentem Pauli nobis euiscerat: ut tãdem cogatur ipse: omnia septem sacramenta pariter et Paulum renegare. Ista autem q̃ uera sint: iam paucis, rogo, ex eius uerbis apprehendite. Non enim, inquit, habet uniuersa scriptura hoc nomen sacramentũ in ea significatione, qua noster usus: Tu uero adde: Sed nihil in ecclesia Christi est asserendum: ut Lutheranũ dogma pro firmissimo obseruat. quod e scripturis et eisdem apertis et claris fundamentum non habet: Ergo in ecclesia Christi, nullum asserendũ est esse sacramentum in ea significatione, qua nos accepimus: Itaq; dũ sermones Pauli, ad Ephesios. 5. studet Lutherus diligenter cudere: cernitis iam eum omnia ecclesiæ sacramenta patentibus uerbis confundere. Taceo, q superius id ipsum crebro fecerat: nihil sacramentis, sed omnia fidei prorsus tribuens. Deinde et secundum uideamus: Paulus inquit Lutherus, ad Ephesios. 5. Verba dei de matrimonio, Genes. 2. dicta, Proprio spiritu trahit ad Christum. Ecce modo effecit: ut res iam ad triarios ueniret: ut uel sic ipse palam uinceret: uel Paulum uerba dei male tractasse, coram ostenderet: quia Paulus, inquit ad Ephesios. 5. uerba dei de matrimonio, Genes. 2. proprio spiritu trahit ad Christum. Quippe asserere, Paulum uerba dei non diuino, sed proprio spiritu exponere, et ea renitentia, ad sensũ suum trahere: præsertim in negocio tanto et pene omniũ maximo: quale est matrimonium: Quid aliud est: q̃ ueritatis opinionem in Paulo denigrare, ac facere eum omni fide uacuum abire, atq; uniuersas quoq; epistolas eius eneruare funditus? Quoniam si in aliquo uno loco uerba

Ci armorũ genere Lutherus Lutherum inuadit.

Prophanus diuũ, ipius iustũ, Lutherus Paulum carpit.

dei non diuino, sed proprio spiritu tractare uere arguitur: Id etiam in quauis alia suarum epistolarũ parte, omnino fecisse uerisimiliter conicitur: ut eo demũ pacto tandem in nullo sibi credatur. Itaq; dum curat Lutherus: ut uerba Pauli, ad Ephesios. 5. ęgregie expendat: quid aliud facit: q̃ omnia ecclesiæ sacramenta pariter et Paulum renegat? Et tamen antiquum morem obtinens, parũ profecto abest: ut id pene concedat: quod prius ipse negabat. Sit inquit, matrimonium figura Christi et ecclesiæ sacramentũ: non autem diuinitus institutum, sed ab hominibus in ecclesia inuentum, ignorãtia non tam rei q̃ uerbi abductis. Et quis est iste, precor, tam inauditus Lutheri fastus? Ignorantiam sacramenti, tam in re q̃ in uerbo, Augustino, Ambrosio, Gregorio, Hieronymo, ac alijs sapientissimis quibusq; doctoribus tanto supercilio improperare? Et sibi uni, qui nec se ipsum quidẽ intelligit: sacramenti intelligentiam arrogare? Cæterum quoniam ita uelit: sint modo omnia Luthero ex sentẽtia: et agamus cum eo pro uoto suo: dãtes ciuiliter ei, quod utiq; uerum non est: sacramentum in scriptura non aliter q̃ pro re secreta, abdita, et occulta accipi: esto hoc uerum esse. Manifesta tamen res est: in scriptura haberi diuinas promissiones, et in fidem diuinarum promissionum signa diuinitus instituta: Quẽadmodum ipse de baptismo et sacramento altaris cõcedit. Quamobrem cum ista duo, uidelicet diuina promissio et in diuinę promissionis fidem signum diuinitus institutũ: eo ãnuente plene constituũt sacramentum, in ea significatione, qua noster usus habet: Quare obsecro, dixit, in uniuersa

Lutheri supercilium mirũ in modũ sublime.

uersa scriptura hoc nomen sacramentum non haberi in ea significatione, qua nos accepimus: nisi quia nesciuit, neq; intellexit: in tenebris ambulat: noluit intelligere: ut bene ageret: Imo cum rem ipsam in scriptura esse concedit: cur nomen negat? nisi q rem arte et dolo agit. An forte scriptura res ullas habet: quibus uocabula ipsa non habet: sed noia ignorat? Rursus superius, ubi primo de sacramentis loqui ordiebatur: et id quidē pro usu nostro, protinus auspicatus ait: Si uelim, inquit, usu scripturę loqui: nō habeo nisi unum sacramentum, et tria signa sacramentalia. Si ergo usus scripturę, unum prodit sacramentum: ut noster usus habet: quare dicit, homo mendacijs onustus, in uniuersa scriptura, non haberi hoc nomen sacramentū, uti noster mos obseruat? Quando nomen saltem unius sacramenti, eo authore, mos scripturę obtinuit? Sed liberū est Luthero, omnia mēdacijs depingere, etiam et proprio ense perire: Verum non potens ipse non uidere matrimonium carnale (deo sic instituente) significare matrimoniū spirituale inter Christum et ecclesiam. Atq; id ipsum ad Ephesios. 5. planis uerbis fuisse ab apostolo expressum: dicente: Sacramentum hoc magnum est in Christo et ecclesia: Nequiens tam apertam scripturę ueritatem aliquo pacto in toto uitare: Voluit saltem: (ut omnium hæreticorum mos est) eam uel in parte declinare: asseuerans: Matrimonum carnale bene diuinitus institui: ut inter Christum et ecclesiam, matrimonium spirituale figuraret: non autem significaret. O dolosum fuci factorem, ac uafrum quoque fraudis machinatorem: siccine scripturas uersas? Itane

Psal. 25.

In suū mucronem Lutherrus insilijt.

Techna Lutheri dolo structa.

Ita ne humana pariter et diuina peruertis? Atq; pro tua libidine in scripturis omnia agitas, ad earum corruptelam semper propensus? Nam q̃uis matrimoniũ illud spiritale, quo Christus humanam naturam sibi copulauit in unitate uerbi, Tanq̃ sponsus procedẽs de thalamo suo. magnũ fuerit sacramentum: hoc est res sacra, mirum in modũ secreta: et nequaq̃ rei sacrę signum, carnale tamẽ matrimonium res est neutiq̃ secreta, sed signum rei sacrę: id, quod hic iam Paulus de eo dicit: Sacramentum hoc magnũ est in Christo et ecclesia. Non utiq; ibi sumpsit sacramentũ: ut ipse contendis, Paulo ferme nunq̃ cõsentiens, pro re secreta et abscondita, quãdo matrimonium carnale sit nihil minus q̃ res archana: sed illic accepit indubie sacramentũ: ut noster usus habet pro signo rei sacrę: ut sit sensus: hoc matrimonium carnale est magnum sacramentum: id est magnum rei sacrę signum in Christo et ecclesia: utriusq; disponsationẽ spiritualẽ uere significãs: nec e uerbis Pauli sensum alium uerum possis tibi Luthere etiam uel ui extorquere, q̃ si adhuc amplius nobiscum digladiari uelis: sacramẽtum apud apostolum solum pro re secreta accipi, ut sit uerborum sensus: Sacramentum hoc, id est ista res secreta Christi et ecclesię, magna est in Christo et ecclesia. Quis, precor, tam nugosam non ridebit interpretationis ineptiam? ut talem loquendi modum Paulo ascribas: etiã in re maxima: quali profecto in infima, sapiens nullus utetur: licet quidam nostræ ætatis interpres, uir elegantis sermonis et laudatæ eloquentię, misterium pro sacramento ponendum censuit. sed id: ut res ipsa indicat: scripturę

eo in

eo in loco neutiq̃ quadrat. Et ideo matrimonium uerum ſacramentum eſſe, uerba Paulina nequaq̃ non euidenter oſtendunt. Quandoquidem in eo non ſolum exploratam habemus promiſſionem diuinam, ſed et in fidem promiſſionis, etiam ſignum pariter diuinitus inſtitutum. Quod uero de literis diuinis, quę ſũma et perſpicace ingenij prudentia metiri debeant: tam impie modo ſapit Lutherus, inde haud dubie maxime profectum fuerit: ꝙ poſteriora ſcripturæ loca cum primis, ipſe nunq̃ recte cõtulerit: quãdoquidem a fronte pariter et occipitio occulatus ſit oporteat, qui ſcripturas tractare pure et syncęre uelit.

LVTHERVS.

QVID dicam de impijs legibus hominum? hoc ſcio, nullam rem publicam legibus feliciter adminiſtrari: ſi enim prudẽs fuerit magiſtratus, ductu naturę, oia felicius admiſtrari q̃ legibus. Si prudens nõ fuerit, legibus nihil promouebit, niſi in malũ: cum neſciat eis uti, nec eas pro tempore moderare. Ideo in rebus publicis magis curandum eſt: ut boni et prudentes uiri pręſint: q̃ ut leges ferantur: Ipſę enim erunt optimę leges: homo non habet ius condendi leges ſuper chriſtianos: quia chriſtianis per Chriſtum libertas donata eſt ſuper omnes leges hominum. Quare hic cedere debet rigor ille impedimentorum ex affinitate ſpiritali, aut legali cognatione et conſanguinitate, quantũ literæ ſacræ permittunt: in quibus tantum ſecundus gradus cõſanguinitatis prohibitus eſt: ut ſcribitur Leuitici.18.ubi duodecim perſonę prohibentur: In quibus non niſi primus affinitatis et ſecundus cõ

Simplicib⁹ uerborum decipulas tendit.

Malefaciendi licentiã libertatem uocat.

 ſangui-

Ecclesiā ad synagogę reducit exemplar.

ſanguinitatis eſt prohibitus. Quare ſi quando matrimonium extra hos gradus contractum fuerit: cum nulli alij a deo leguntur prohibiti: nullo modo debent diſſolui propter leges hominum. Ita debent iſtę nugę compaternitatū, cōmaternitatum, confraternitatum, conſororitatū, et cōfilietatum prorſus extingui.

POVELVS.

AQVAS chriſtianis plane ſtigias propinat nūc Lutherus: ſi eſſet: qui pitiſſaret: ſiquidem chriſtianis ſub chriſtiani principis iure uiuendum eſſe: ipſe prorſus diſſuadet. Homo, inquit, non habet ius condendi leges ſuper chriſtianos. Ecce homo omnis pacificę rei publicæ extinctor execrandus. Leges namq; humanę tametſi ideo conduntur: ut frena ſint malis, et calcaria bonis: ut ſic iſti ad uirtutes inuitentur: illi autem a uitijs terreantur. Excandeſcit tamen Lutherus: qui cunctos uiuere impunes uelit: chriſtianos hoīes ullis humanis legibus regi: quibus a malis arceantur: uel ipſi ad bona excitentur. Hoc ſcio inquit, nullam rem publicam legibus feliciter adminiſtrari: in hoc ab omnibus ſibi credi Lutherus uelit: tanq̄ fuerint ex tripode dicta: cum ipſe prorſus nulli credat: at cur hoc Lutherus? cum nos quippe ediuerſo ſatis agnouimus: ex omnium nationum hiſtorijs: rem publicam nunq̄ fuiſſe felicius adminiſtratam: q̄ cum bonis legibus regeretur. Verum ne citra rationem contra omnium ſententias ſentire ipſe uideretur: rem falleris uerborum adornans, cauſā adiecit: non ex dialectica, quā ignorat: ſed e ſuo cerebro imprudenter aſſumptā. Si enim prudens fuerit magiſtratus,

tus, inquit, ductu naturę, omnia felicius administrabit, q̃ legibus: si prudens non fuerit: nihil promouebit, nisi in malum: cum nesciat eis uti, neq; pro tempore moderare. Ecce Lutherus in politicis, q̃ ęgregium se putat philosophum: cum sophistam agat ipse nugacissimum. Nempe si Lutherus tulerit leges: quis erit magistratus? Si iura amoueat: si leges seponat: rogo, quæ alia administratio rei publicę esse poterit: nisi sic uolo, sic iubeo: sit pro ratione uoluntas? At ductu, inquit, naturę felicius omnia aguntur: ductu naturæ? Cuius quęso naturæ? Nōne illius, de qua dominus deus noster ait? Sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescētia sua? Quod si scriptura hac in re omnino conticeret: tñ id uerissimum esse, humanus in malo q̃ in bono risus facilis, pspicue cōmonstraret. Natura igitur humana currupta cū sit: et ad malum propensa: Quid rogo aliud q̃ flagitia uitæ et morum corruptelam docebit? Si igitur hoc nobis natura potius suadet: ut procaces petulantes, et mali simus: Quis rem publicam: tam lasciua et corrupta ductrice: feliciter administrari dicet? Nisi is qui tunc rem publicam felicem esse dixerit, cum moribus misera et perdita euaserit? Ipsa enim natura citius gubernante eget, quæ nisi rigidis legū cohibeatur habenis, facile ad mala pręceps ruit. Nam uitia, quibus humana sit natura procliua: instructorē quidem non poscunt. Virtutes autem, quia nactu extant difficiles: nec illis nisi in grādi conatu potiri ualeamus: propterea quemadmodum citra præceptorem addisci nequeāt: ita plane semel adeptę, neq; teneri, neq; absq; magna stu-

Ad fallendū Lutherus uerba cōponit.

Genes. 8.

Humanæ naturę corruptela quo ducit.

dij et operis uigilantia, seruari possunt: præsertim natura in aduersum conāte. Nescio igitur Lutherus ab omni humano iure, cur esse affectat liber et laxus: Nisi forte pertesus naturę humanę: cupit ipse asininam induere: et eam præcipue, cuius comminiscitur Iob: Vir uanus in superbiam erigitur: et tanq̃ pullum onagri, se liberum natū putat. Nemo ergo rem publicam, per naturam corruptam q̃ ꝑ legem humanā, recte conditam felicius administrari asserit: nisi is, qui cum onagro sentit: aut plusq̃ Orestes insanit. Ista autem in primis uera esse, te Luthere ꝓfecto nullo modo latere potuissent: si id quod in libro Iudicum exploratur: tibi in mentem recte uenisset: Illic enim scriptū est: In diebus illis non erat rex in Israel: sed unusquisq; quod sibi rectū uidebatur: hoc faciebat. Sed quid obsecro homines ea tempestate sine rege, sine lege, ducēte eos natura faciebant? Nempe citata iam in medium scriptura: faciebat Michas sculptile et cōflatile, ephot, et idola, quę apud tribum Dan, usq; in diem captiuitatis suę remanserant. Ecce populus absq; lege, ductu naturæ tunc gubernatus: Quia unusquisq; quod sibi rectum uidebatur: hoc faciebat. En q̃ calamitosa et infaustissima plebis administratio, quæ primo a uero dei cultu abducta, deinde in execrandam idolatriam prolapsa, postremo in miserrimam seruitutē abijt captiuata. Siccine est sine legibus, rempublicam, ductu naturæ feliciter administrari, et non potius eam statu infelicissimo agitari? Tale ne est dilemma tuū Luthere, quo alios capias, ipse iam tua sagena irretitus? Rursus humanis legibus, si recte frugiq; ędantur: cur ipse non

Iob. 11.

Iudicū. 17.

Corruptę naturę ducatus quorsum tendit.

non dignaris? quando olim Moyses, et si referente deo, legem tulerat: tamen cum diuino iure consilium quondam Ietro, etiam in Israel pro lege celebrauit: et ita quidem celebrauit: Vt id citra piaculum, transgredi postea phas nō fuerat. Haud secus reuera statuit Dauid pro lege seruanda: Vt ęqua pars esset: discendentis in prelium, et remanentis ad sarcinas, et ęqualiter diuidēda. Quod deinceps absq; capitis periculo in Israel non poluebatur. Taceo æditæ humanæ legis id genus exempla plurima: quæ per scripturas late diffunduntur: Cum et humanas traditiones, quas synagogæ proceres olim condebant: plebs cum reuerentia et cura propemodum non minus uigili (si euāgelio credimus) q̄ ipsam dei legem obseruabant. Neq; tamen istiusmodi mortalium leges: Id, quod tu iam agis: Christus usquam culpauit. Licet hebręos, q̄ ob leges humanas, diuinas temerarent: plurimum damnarat. Quis est igitur naris tam parum emunctę Luthere: qui non facile odorat, te hoc iam solum conari: ut primo humanarum legum æquitatem extinguas: deinde ad corruptæ naturæ ducatum trahas: ac postremo homines a uero Christi cultu, et fide sacramentorum aduertas? Sed si prudens non fuerit magistratus, inquis, nihil legibus promouebit nisi in malum: cum nesciat eis uti: At ego quidem dico, si imprudens extiterit magistratus: quod nonnunq̄ fit: Quia homo, cum in honore esset: nō intellexit: certe nisi is iuris habenis compescatur: et legum loris arctius frenetur: quis feret eius insaniam? quis eius tollerabit amētiam? Qui quicquid sibi libet, sibi etiam licere putabit? ad

I. reg. 35.

Psal. 48.

gubernandam igitur feliciter rempublicam, in primis necessario conduntur humanæ leges: quibus magistratus mali a scelere prohibentur: et boni ad meliora prudentius instruantur. Adde, inquit Lutherus, his, q homo nõ habet ius condendi leges super Christianos: quia illis per Christũ libertas data est. Q; si modo libertatẽ per Christum ita christianis donatam, Lutherus prædicat: ut humanis legibus, etiam si diuinis quadrent: obsecundare nõ teneantur. Quis rogo, nisi is, cui nasus nõ sit: non facile olfacit, cyclopicam uitam, quam nec leges, nec numina regunt, Lutherũ iam optare: nec certe aliud in animo nũc moliri, q̃ omnem Christi religionem pessundare, apertam flagitijs uiam struere, more Catelinę schisma seminare, populum christianum a suis principibus diuidere, et Petrũ apostolum manifeste confundere? Ipse enim est: qui ait. Subiecti estote regi tanq̃ pręcellenti, siue ducibus tanquã ab eo missis. Quomodo enim ipsi regi suo se subdunt: qui regis sui legibus se nequaq̃ debere obedire contendunt? Christiana ergo libertas est: non qua licenter sine humanis legibus uiuitur: aut qua, uti Petrus ait: homines uelamen habent malicię libertatẽ: sed qua corde, ore, et opere cum pietate Christo seruitur, et humanis legibus: modo bonę ac honestę extiterint, et diuino iuri cõcordes ob Christi amorem libenter obtemporatur. Veterem enim et nouam legem discriminãt metus et amor: q illa pauore, ista amore seruatur: proinde cum nihil liberius fit: q̃ id quod amore geritur. Legem profecto nouam, quæ sola dilectione impletur: non iniuria uocat Iacobus legem perfectæ libertatis:

Lutheri libertas captiuitate ęgipti seruilior.

I. Petri. 2.

I. Petri. 2.

libertatis: tametsi haud temere perfectę libertatis lex dici poterit: q a triplice seruitute liberat. Primo, a seruitutę peccati: quia, Lex domini immaculata cōuertens animas: Id quod uetus non fecit: quia, Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Deinde, q redemit a seruitute inferni: quando buccinante Christo, Qui crediderit, et baptizatus fuerit: saluus erit: quod lex antiqua præstare non potuit: quia, attestāte Dauid, Quis est homo: qui uiuebat: et non uidebat mortem: et eruebat animam suam de manu inferi? Postremo, quod emancipat lex noua, actuū 15. a seruitute cęremoniarum et iudiciorū, sed tñ discrimine non paruo, ut consequens sermo declarabit. Liberat enim lex noua a seruitute cęremoniarū: cęremonię tñ iter se magno interuallo distabant: Nam aliquę futurā Christi passionem et mortem adumbrabant, quales fuere omnia sacrificia ueteris testamenti: et quia eas post Christi mortē seruare, aliud non fuerat, q̄ Christum pro mundi redemptione non dum fuisse passum asserere. id sane in causa fuit: cur ea omnia cęremoniarū genera, in Christi passione sic comsummationem acciperunt: ut eas postea seruare fuerit prorsus letale et mortiferum: alię tamen extabant cęremoniarum formæ et species ab eis longe diuersę: Nempe psalmorum concentus, organorum modulatio, corporū genu flectio, manuum oculorumq; in cælum erectio, lampades, cādelabra, luminaria, incensa, turribula, et alia similia id genus nō pauca, quę quoniam nec Christi futuri, nec passionis suę typi fuere: Sed uel internā mētis pietatē significabāt; uel certe ad pientiorem diuinę religionis cultum

tum hebręorũ populum excitabant: Nihil causę fuit, cur post Christi passionẽ extingui deberent: Et iccirco hodie in ecclesia Christi, earũ adhuc nõnullas restare: Licet a sacrificijs Moysaicis prorsus emancipamur. Eruit et postremo lex noua a iudicialium seruitute: Non ꝙ capitale sit iã ea seruare (quemadmodum ueteres sacrificiorum cęremonias in usum uocare, certum fuerit esse letale) Sed ꝙ christianis omnino liberum sit: aut eorũ abicere rigorem, uel certe, si administrandę christianę reipublicæ ea conducere perspexerint: ad gubernandã plebem denuo pro lege statuere: modo non credant, se eis synagogica authoritate astringi. Itaꝗ perspici dilucide a cunctis christianis possit: Nisi qui sensu communi caruerint: Lex euãgelica ꝗ sit perfectæ libertatis: Nimirum, quæ a peccato, quæ ab inferno, quæꝗ a cęremonijs, ac iudicialibus liberat: diuina præcepta non metu, ueluti lex uetus: Sed dilectione implere docens: Id quod Paulus admonet. Non enim accepistis, inquit, spiritum seruitutis iterum in timore: sed spiritum adoptionis filiorum dei. Et iccirco, qui decalogum seruant, pœnarum formidine: ij haud dubie non ad christianissimum, sed ad iudæismum, non ad ecclesiam, sed ad synagogam, non ad nouum, uerum ad uetus testamentũ attinent: nõ facti Israelite, uere spirituales et liberi, sed penitus carnales et serui. Christianæ ergo libertatis summa est: non qua pro libitu impune uiuitur: ut Lutherus uelit: sed qua ingenua et gratuita uoluntate deo et eius legibus seruitur. superioribus autem, ac eorum institutis modo nõ discordãt a diuinis, propter deũ tranquillę obsecũdatur

Roma. 8.

datur

dat: id quod Petrus consuluit: Subiecti estote omni creaturæ ꝑpter deũ. Et ideo nõ facile equidẽ sciuerim Luthere: cur solos christianos in orbe ambis esse exleges, et humanis præceptis prorsus solutos: Cum rationi et honestis legibus eos maxime decuit esse conformes: Nisi forte hoc sit: quod uerum puto: scelerum licentiam, quam ulciscũtur leges: et tibi et tui similibus omnino desideras, fore indultam: Id quod Petrus ait: In errore conuersati libertatem promittunt: cum sint ipsi serui corruptionis. Nunquid igitur tibi adhæret Luthere sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto? Deinde quid in summos pontifices, furia inuectus, debaccharis, canis in lapidẽ seuiens? ꝙ per cõsanguinitatis et affinitatis gradus, põtificio iure nuptię coartantur: Nullum enim uis impedimentũ esse, quo minus nuptię fiant: nisi primum et secundum consanguinitatis, et primum affinitatis gradum: Ad hoc nobis dumtaxat Moysaicam apportans authoritatem: homo ipse plusq̃ iudæus: Qui quod Paulus olim prohibuit: ipse iam iubes, litterę uetustate nos uiuere. Deberes enim ipse homo Christianus cum sis: monitore Christo: cognoscere cuius sis spiritus: cuius etiam sis filius, ancillę ue an liberę, noctis an diei: si enim non ancillę, non noctis, sed liberę et diei filij sunt Christiani: Non debuisti plane Luthere passim ineptiens, pro authoritate in hac re nobis Moysaicas nuptias in mediũ afferre, cum puriores et mũdas magis oportet iam habere nuptias hodie in die Christi ecclesię, q̃ quæ olim celebratę fuere in nocte synagogę: Et ideo christanorũ nuptias: Vt syncęræ et mundę subsistant:

2. Petri. 2.
Psal. 93.
Ecclesiã nõ uult Lutherus synagoga esse puriorem.
II. Corin. 3.
Lucę. 9.

ſtant: eccleſia intra quartum conſanguinitatis gradū contrahi quidem iuſte interdixerat. Cognationes autem ſpirituales riſui et ludibrio, homo ridiculus habens, inſignis inter mimos, eas nō niſi nugas appellat: Negat enim cognationem ſpiritualem homo animalis et certe plusq̃ caro, nihil de ſpiritu ſapiens, ignorans, quod quanto ſpiritus carnem, tanto cognatio ſpiritualis, cognationem carnalem dignitate exuperat: Et ideo ſi carnalis cognatio ob conſanguinitatis reuerentiam, iuſte gradus quoſdam habet: qui nuptias recte uetant? Quomodo non multo magis, ob ſpiritualis cognationis honorem: qui maior eſſe deberet: Gradus etiam quidam extant: qui inter ſpirituales cognatos, nuptias fieri ęque prohibeant? Cætera uero quæ in hoc ſacramento tractat, de uiris, fœminis, ac de eorum ſecretis agens. Spurciora profecto extant ac magis obſcena: q̃ quæ uel pudicus calamus tangere, uel certe caſtę aures ferre queant. Et iccirco alia, quæ hic fęde ſcribit: conſultus et ex induſtria prætereo. Cum in illis reuera nō hominem chriſtianū, ſed ſcurram quidem agat ipſe ſpurciſſimum.

Spurca Lutheri ſcurrilitas.

LVTHERVS.

DE diuorcio etiam uerſatur quæſtio: an ſit licitum? Ego quidem ita deteſtor diuorcium: ut bigamiam malim, q̃ diuocium: Sed an licet diffinire: Ego ſane, qui ſolus contra omnes ſum: ſtaruere in hac re nihil poſſum: ſola autem authoritate papæ, aut epiſcoporum, nihil diffiniri uolo: ſed ſi duo boni uiri et eruditi in nomine Chriſti conſentirent: eorū iudiciū pręferrem etiam cōſilijs. &c.

Mahumetenſem meditatur uitā

Cenſorē reſnuit ſuæ cauſæ.

Poue=

POVELVS.

LEX enim euãgelica, quæ diuorcium in casu licere admisit: christianum hominem plures simul habere uxores nunq̃ permisit: Nihilo tamẽ minus Lutherus erecto collo aduersus euãgelium currens: et cum Paulo pugnãs, inter incudem et pyrobollam ultro se ingerit. Nam bigamiam, quam Lamech sanguinarius primus exercuit: ipse malit q̃ diuorcium: In quo plane christiano homini licere duas habere simul uxores ita insinuat: ut in illũ iam Mahumetum palam uideas: uerba tamen sua arte temporat: studens dealbare ethiopem. Sed an liceat, inquit, non audeo diffinire: quasi libenter uellet diffinire, posse chriastianũ hominem plures simul habere uxores: ut ex hoc impijs: qui pellicatum q̃ coniugium magis uelint ipse complaceret: et tandem ex stoicis epicureos, et e Christianis mahumetanos faceret. Sed nõ audeo, inquit, diffinire, nõ ꝙ ipse deum, uel legem eius metuat: sed ꝙ forte mulieres ea re offensas et intollerabiles sibi fore timeat: uel potius, ꝙ nullum hæresiarcharum ante eum hoc sensisse uideat: Et ob id ait. Ego sane, inquit, qui solus contra omnes statuere, in hac re nihil possum. Ecce Luthere, summam miseriam tuam non potuisti ipse non reuelare: quando contra omnes te solum dicis. Iccirco ue soli, qui cum ceciderit: nõ habet subleuantẽ. Si enim, ut in ꝓuerbio est: nec Hercules cõtra duos: tu Luthere cur contra oẽs? imo cur cõtra teipsũ? Sed mirũ siquidẽ nihil est: si cũ oĩbus pugnes: qui nec cũ te ipso cõcordas unq̃. Reuertere igitur fili aliene et degener, ut solus non sis: per catholicam fidem ad fratres

Lutherus bigamorum amator,

Lutherani status q̃ infausta conditio,

Eccles. 4.

tuos: quia frater, qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas firma, et iudicia quasi uectes urbium. Sed nolo, inquis, authoritate papę aut episcoporū aliquid diffiniri, quasi uilia tuarum quæstionum fragmenta et quisquilias, quę ad soluendum omnibus sunt peruia, maiora Luthere putes, q̄ quę debeant a papa uel ab ecclesię consilijs decerni. Quod utiq; superbissimi homuncionis est argumentum: qui romanam ecclesiam, generalia cōsilia, et omnes e sublimi iudicans: nullum ipse admittis tui esse censorem: In quo nimirum Luthere Ascio olim arrogāte episcopo, multo euasisti durior obstinatiorq;: Nā is cū in Niceno consilio ipse unus tricentis episcopis usq; adeo non consentiret: ut a cōcepto mentis rigore, tot patrum authoritate reuelli nō poterat: Turgidam inflati hominis pertinaciam, imperator Constātinus facete elusit. Asci, inquit, scalam pone et cęlum si potes solus ascende: Et tamen animo profecto lōge minus adamantino, induruit Ascius ille quondam episcopus: q̄ tu hodie Luthere frater et mendicus. Quando ille non nisi paucis patribus: tu autem citra delectum omnibus reluctaris. Ille non cum alijs q̄ ætatis suę magistris contenderat: ob id ab imperatore pro sycophanta illusus: tu uero cum antiquissimis quibusq; catholicę fidei pręceptoribus, iam pro hæretico a christiano orbe explosus, nedum irrisus. Sed cur obstinate Luthere a mente elabitur tua, tribus quondam illa Beniamin: Quę ubi errorem suū tueri q̄ cognoscere: Cum cæteris tribubus in Israel pugnare, q̄ earum consilijs morem gerere maluisset: in exiciū, miserabile dictu, tam deflendum inciderat: ut primo bellatores

Prouer. 18.

Sublimis Lutheri fastus.

Iudicū. 22.

latores

latores eius fortissimi quiq;, in bello occumberent. Dein-
de cunctas urbes uorax flamma ad cineres usq; consume-
ret. At postremo quidem uiros, mulieres, pueros, iumen
taq; dirus gladius et is fraternus tam crudeliter passim tru
cidaret: Vt tantę tribus, nullę propemodum reliquię ma-
nerent: Adeo unam tribũ in Israel potuit extinguere, per-
tinax unius erroris defensio. Tu uero Luthere, non unũ:
Verũ multos rebelli animo errores, iam diu propugnasti.
Quos ne in his deperias, mi frater Luthere, uel tandẽ de-
pone: et ad Christi ecclesiam cũ pace redi: Cuius certe iu-
dicium non recusares: Si causę tuę omnibus uijs non diffi
deres. Si duo boni uiri et eruditi, inquis, in nomine Chri-
sti consentirent, eorum iudicium pręferrem etiam cõsilijs.
Quis hic nõ uidet, nisi is cui nullus sit oculus: ista tua uer
ba Luthere eo tendere, ut omnem in scripturis discernen-
dæ archanæ ueritatis authoritatem summo põtifici et ge-
neralibus ecclesię consilijs quod nequissimum est, prorsus
pręripias? Quod quia omnibus hęresiarchis, id fundamẽ
tum olim præcipuum et summum semper fuerat: quem-
admodum in primo libro uberior oratio prodidit: prop-
terea illud q̃ sit diuinę legi infestum atq; hostilissimũ, mo-
do operępreciũ est dilucide aperire. Nam dominus deus
noster cum Moysaicam olim conderet legem, non igno- Exodi. 25.
rans opinionum contrauersias, sentẽtiarum dissidia, in le-
ge sua nascitura: Quia nulla lex tam est recta, quæ nõ pos
sit in sinistrũ deflecti: Nulla scriptura tam clara, quę fal-
so deprauari sensu nequeat, atq; adulterinæ intelligentiæ
prostitui: Iccirco ut tantum malum tempestiuo remedio

prçueniret: nec quilibet post capitis sui sensus impune abiret: Mandauit deus Exodi. 28. dicens. Si difficile et ambiguũ apud te esse iudicium perspexeris: inter sanguinem, et sanguinẽ, causã et causam, leprã et nõ leprã et iudicũ inter portas uideris uerba uariari, Surge et ascende in locũ, quẽ elegerit dominus deus tuus, uenies que ad sacerdotes leuitici generis et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, et queres ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem, et facies quęcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit dominus: sequeris que sententiam eorum, nec declinabis ad dextram uel ad sinistram: Qui autem superbierit nolẽs obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, decreto iudicis moriatur homo ille, et auferes malum de Israel. In lege ergo Mosaica ne quis per schisma populum scinderet: aut quispiam, per capitis sui opinionem, a uero legis sensu plebem abduceret: deus non leui arctabat edicto: ut in cunctis diuinæ legis dissoluendis ambiguis, summi sacerdotis sententię omnino staretur. Nihilo tamẽ minus, sicut nec summi pontificis, ita nec ecclesiæ Christi iudicio, stare Lutherus instituit: in quo quis non uiderit: q̃ parum sit catholicus? qui nec decretis diuinis, nec humanis destinauit obtemperare. Rursum et Paulus e cælo uocatus, et in Christi euangelium segregatus, in euangelica predicatione se securum satis non antea est arbitratus: q̃ doctrinam suam Petri et cõmmuni apostolorum ac ecclesiæ iudicio audiuit esse uegetam roboratamque: Quemadmodum ipse ad Galathas scribens ait. Ascendi Hierosolimam cum Barnaba assumpto tito? Ascendi antem secundum

Exodi. 28.

In oibus ecclesię censurę se paulus subiciebat.

Gala. 1,

cundum reuelationem, et contuli cum eis euangelium, seorsum autem cum his qui uidebātur aliquid esse, ne forte in uacuum currerem au cucurrissem. Ecce Paulus qui non ab homine, sed a deo euangeliū acceperit, prędicationem suam non aliter ratam, non aliter solidam abunde crediderit, q̄ e Petri et ecclesiæ lata sententia illam stabilitam esse conspiceret: Atq; huic quoq; accidit illud: quod martyr Ciprianus in epistola ad Cornelium papam contra hæresiarchas pulcherrime scribit. Neq; enim, inquit, aliunde ortę sunt hęreses aut nata schismata, q̄ inde, qd' sacerdoti dei non obtemporatur: nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex uice Christi cogitatur. Eccum Lutherum, quem hic ter Ciprianus ferit et reuincit: primo φ papā in ecclesia ipse uocat Christi uicariū: Quod fortiter ipsum premat: Deinde φ causarum omniū in terris, illum uice Christi affirmat iudicem supremū. Quo fortius prophanus quatitur: qui summum pontificem, quod superbissimum est: in rebus diuinis contemnit habere iudicem: imo detestatur arbitrū. Postremo quidem et cur Lutherus, iā abijt schismaticus, pariter et hęreticus, ipse belle eleganterq; causam prodit: Quia non aliunde, inquit, ortę sunt hęreses et nata schismata, q̄ inde, φ in ecclesia unus sacerdos et iudex uice Christi non cogitatur. Quę obsecro, alia queat esse neruosior pugna, quod aliud certamē robustius: q̄ hic contra Lutherum potenter munit et firmat martyr Ciprianus? Qui uno insultu ter eum fudit: et solo stratū, ne denuo respiret: omni ex parte premit. Nec conuenit Luthere, hic te esse litargicum: et tuorum uerbo

rum

Papę Cornelij sententiæ Ciprianus se humiliabat.

ter uno ictu Lutherus obruitur.

rum male memorem. Nam cum superius crepitaueris: unum Ciprianum satis esse ualidum contra omnem romanistam: Haud poteris profecto iam refragari: Eundem Ciprianum, satis habere uirium etiam cōtra omnem vviclefistam. Trāsilio ne sim prolixior, Hieronymum: qui si dei suę censuram, Damaso papę submisit. Ait enim. Hæc est fides papa beatissime, quam didici in ecclesia, quā semper tenui: in qua si minus perite, aut parum caute forte aliquid est positum: emendari a te uolo, qui sedem Petri tenes et meritum. Quamobrem si Hieronymum, Si Cipriani documētum tam perspicuum, Si diui Pauli exemplum lucidissimū, Si diuinum præceptum in hoc negocio rigore plenum: Vt summo pontifici et ecclesiæ consilijs, humiliter morem geras: te admonere nō possunt: Quid precor aliud habes, q̄ mentem ferream et plane omni incude duriorem? Vt in te impleatur: quod scriptum fuerit: Cor eius indurabitur, tanq̄ lapis: et stringetur, quasi malleatoris incus: Nihil ipse cōmemorās, quod scribitur: Cor durū male habebit in nouissimo. Sed si duo boni uiri et eruditi, inquis Luthere, consentirent: eorum ego iudiciū pręferrem etiam consilijs. Quasi duo boni uiri et eruditi in ecclesiæ consilijs hodie non essent: qui de hæretica impietate tua iudicium rectum ferre satis possint. O hominem arrogantissimum, qui pro nimio fastu, suam insaniam non uidet: Nec quempiā putat: Qui possit de suis erroribus, sententiam uel ueram celebrare: Adeo tument præcordia impia. Sed numquid quia propheta Helias dixit. Altaria tua domine destruxerunt: et prophetas tuas occiderunt: et reli-

Damasi papę iudicio se Hieronymus incur-

Lutherus oi pyrobola et incude durior,

Iob. 1.

Eccles. 3.

3. regū. 19.

et relictus sũ ego solus: Non erant ob id in populo Israel, ęgregia pietate uiri, qui deum uera fide colebant? Numquid non Helię temeritatem his uerbis deus ipse taxabat? Reliqui mihi septem millia uirorum: qui non curuauerũt genua sua, ante Baal. Et tamen tu gestiens uideri solus catholicus: Cum sis ipse hæreticus admodum turbidus: qui nec in ecclesia Christi, cui non credis: Nec in ecclesiæ consilijs, quibus non obedis: Duos bonos et eruditos uiros, esse contendis: Qui sententias tuas errorum contagione pestiferas, hæresumq; pōdere graues: possit uel æqua lāce trutinare. Verum si duos hęresiarchas haberes: cũ quibus tanq̃ cum vvicleffo Hussetoq;, ad perdēdos simplices christianos, uerba possis habere uigilantissima (quia Iudas non dormit) eorum iudiciũ, ipse ecclesiæ consilijs lōge ante ferres. Nec id mirum: Cum bubo noctem q̃ diem plus sitiat. Talpa tenebras q̃ lucem magis optet: Et porcus sordidus cum sit, siliquas ambrosię, et excrementa aromati libenter præponit. Nec quippiam mihi stuporis est Luthere: Si ecclesiam eiusq; consilia, tātopere oderis: Cũ nec Cain Abel, Nec Ismael Ysaac, Nec Esau Iacob unq̃ dilexerit: Nam quæ rogo, participatio iusticię cũ iniquitate, lucis cum tenebris: Aut quæ conuentio Christi cum Belial? Non enim iniqua cum ęquis, impia cum pijs, falsa cum ueris ulla habent commertia. Cæterum an parum tibi uidetur Luthere, Petri sedem contemsisse? nisi etiam doceres ecclesiæ cōsilia aspernari: atq; christiano populo cōsulere: Vt in scripturarum ambiguis, si quę forte occurrerent illustrandis: (quemadmodum legentibus passim ob

Lutheri sententia q̃ male censoria.

Tenebrę lutheri tetriores q̃ ęgyptię.

uia ueniunt) in his non ecclesiæ: Sed sua consilia sequerētur? In hoc plane exhibuisti te ipsum: impudico Ionadab
3. reg. 13. Lenoni illi: Qui olim docebat Amon, Thamar uirginem ui opprimere, haud quaq̄ dissimilem. Quin et multo similiorem, callido Achitofel: Qui quondam Absoloni cōsulerat: paternum publicitus uiolare cubile. Quod nimirum tam scelesto et impio cōsiliario, neutiq̄ cessit impune. Nā rem, quam impie moliebatur: Cum parum procedere cōspiceret: Sera cōmissi sceleris penitudine ductus, laqueo sibi ipsi iugulum strinxit. Quod tibi Luthere, ne plebem ad uiolentam sacrorum codicum interpretationem, Vel ad constuprandos scripturarum canones, aliquando prouocares: exemplo esse omnino debuisset. Licet admonitio nec diuina nec humana, multum te queat mouere. Proinde aduersus te, in hac re iā amplius disceptare, nihil equidem institui: Sed de sacramēto matrimonij, in te ista disseruisse, modo sufficiat. Præsertim cum de eo, quemadmo dum et de cæteris sacramentis, Anglorū rex HENRICVS, huius nominis octauus, tam pulchre, tam acute, cōcinneq; scripserit: Vt mea quidem sententia, difficilis sit in singulis, consummata emulatio. Tametsi complures in hoc negocio, ab Erasmo, iam diu magna expectabāt: Partim ꝙ ei quondam cum Luthero, non parua consuetudo intercesserat: Partim ꝙ nullius eruditioni, magis q̄ Erasmi fidebat: Multo uero omnium maxime, ꝙ uir sit Erasmus, omnium iudicio eruditus, ac ea facilitate et sermonis copia pręditus, Simul et ea acrimonia dicendi pollens: Vt his pręsidijs fretus, autumant per illum stare, modo in eū

catholice

catholice ſcripſerit: ut ab hęretica pertinacia Lutherus a-uocetur. An uero in eũ adhuc aciem direxerit: haud quã q̃ ſcio: Ego tamen, qui illi optima cupio: Nolo, ut poſt-hac in eum mortales amplius dicant: Nouit Eraſmus in apologijs, negocium ſuum uigilãter agere: At ubi Chri-ſti fidẽ tueretur: ibi dormire et ſtertere: Noua quibus eccle-ſia non eget: imo melius careret: indies edere, Et cõtra hę-reticum fidei prę̨ſidia, quoad eum attinet: indefenſa relin-quere. Contra ſuos emulos fortiter inſtare: Et ubi pro fi-de, cum hoſte congrediendum foret: ibi aciem deſerere. Ipſe enim ſacerdos cum ſit: Et uti Malachię elogium eſt: Angelus domini exercituum: Deberet ꝓfecto, aduerſus communem fidei hoſtem, inſtructis ſcripturarum copijs, animoſe pugnare: et nunq̃ fugam meditari. Maxime eo tempore: Quando chriſtianæ fidei negocium, fuerat ſtre-nue defendendum. Vrit me profecto immodice, de amico meo, iſta non tam audire, q̃ conſpicere plurimos, et eos nõ infimos, ob perpetuum illius in hac re ſilentium: de eo paſſim male ſuſpicari. Prę̨ſertim cum ad conficiendum cũ Luthero negocium, multorum fuerat amicorum literis ſę-pius prouocatus. Ego igitur, qui haud ſecus illi, atq; mihi ipſi bona exopto: Cupiẽs tam mordica ora mature occlu-di. Velim, ut nomini ſuo ꝓſpiciat: ac famæ quoq; in hac re e ueſtigio cõſulat: Quod tunc profecto ipſe prudenter effecerit: Si aduerſus Lutherum, qui iam toto errauit cęlo: ſcripturarum agmina, bene et ordinate inſtruxerit. Ac eo quoq; pacto fore: Vt amicis ſatiſfaciens, multorum expe-ctationi reſpondeat: omnem ſuſpicionis maculam expur-

Amica con-ſultatio.

Multorũ nõ ſpernenda ſuſpicio.

get: et cunctorum in eum latrantium, facile ora obturet. Enim enimuero, ut de cæteris taceam: Hieronymus, qui nunq̃ hæreticis pepercit: atq; Augustinus quoq;, qui aduersus hereses, summo acerrimoq; ingenio, semper militauit: in nulla unq̃ re, uel ecclesię Christi magis ꝓfuere, aut sese uere orthodoxos esse apertius prodidere: q̃ ubi hæreticorum cuneos, rationibus, et sacrarum literarum armis, fortiter strauerunt. Nam in apertis hæresibus conniuere, quid, precor, aliud est: q̃ illis tacito et occulte subscribere? Monere præterea amicum nostrũ debeat: non solũ quod mandauit deus, unicuiq; de proximo: Sed etiam, ꝙ in tãta re, citra salutis discrimẽ, hi tacere nequeant: Quos popularis opinio, pro summis rabinis habet. Ne dũ errores: quos expugnare deberent; ipsi silentio, diuturniore q̃ par est: trãsigant: sua taciturnitate eos consolident: Fiantq; tales rabini tacẽdo, hominibus in perniciem: quibus hæreses arguendo, oportebat esse ad salutem: Quin et meminisse decet: id genus præceptoribus mutis, quid terrifice deus ipse intentat: Si speculator, inquit, uiderit gladium uenientem, et non insonuerit buccina: et populus se non custodierit, ueneritq; gladius, et tulerit de eis animã: ille quidẽ in iniquitate sua captus est: Sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Nudauit enim gladium Lutherus: ensem strinxit, et uibrauit in Christũ: Christianum populum heresum mucrone petijt: Hoc nõ Erasmum latuit: Hoc clam eũ esse non potuit: Sed hoc ipse cominus perspexit: Cur ergo ipse hostẽ speculatus, buccinam nõ insonuit? Cur tuba aduersus eum nõ clãxit?

De malo respondendo silentio.

Elingues monitores graues deo dãt penas. Ezech. 33.

Arma Luth. mouit in Christum.

Aut

Aut ſaltem, cur dei minantis non meminit? Sanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram? Quod ſiquidem illi ante oculos diligenter uoluendum fuerat. Si uel deo parere, uel a Lutheranæ partis errore curauerit, alienus uideri. Iſta namq; ex fida charitate iam dixerim: Vt ſpeculatorem, cui bene faueo, et optime uelim: ad clangendũ buccina in hoſtem, admoneam: Vt cõtra inſignem catholicę fidei inſidiatorem, orthodoxũ opus aliquod tempeſtiue ędat: nec tardius elephante pariat: Sed mature id agat. Quia ſera cõmercia poſtridie emporij. Itaq; fiet: ut præceptori deo obtemperet: errantis amici ſaluti, per occaſionem conducat: et omnem ſiniſtrę de ſe opinionis labem prorſus eluat. Cæterum quidem non placuit: Verum offendebat me plurimũ: Q; uir quidam, ſacris literis haud dubie facile nemini ſecundus, interdiſputandum contra Lutheranos errores, iamdudum ſcripſerat. Hoc, inquit, in loco, Lutherus eraſmiſat: Aut certe Eraſmus lutheriſat: Quis cui ſit preco, neſcio. Sed ſane uterq; caſtigãdus: Lutherus, quia impie ſcripſit: Eraſmus, quia male tacuit: Nec eo minus facile iſtę tam latrantes fauces, obſtrui iam queant: modo aſſumptis charitatis armis, amicus noſter in Lutherum, qui nũc toto errauit ſcopo: catholice et docte ſacrorum uoluminum caſtra mouerit: Et ſic quidẽ mouerit: Vt quemadmodum ipſe profitetur, ſeſe illorum interpretem ęgregium: Ita et eorundem quoq; hoſtem, euangelico enſe ſic potenter feriat: ac talibus quoq; ſacrarũ literarũ telis inuadat: quibus Lutheri errores fortiter premat: et fidei ſuæ ſyncęritatem euidẽtibus operis ſui argumentis

Cõſilium chriſtianum chriſtiano fratri.

Fraternę caritatis frugi admonitio.

mentis ostendat. Alioqui tam inexpiabilem sibi notam apud posteros mansuram: Vt quicquid doctrinæ, aut eruditionis in eo antea emicuerit: Hoc unum silentium sibi prorsus obnebulabit. Id quod mihi quidē graue, ac plane molestissimum foret.

Exodi. 28.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

LVTHERVS.

HOC sacramentum ecclesia Christi ignorat: inuentūque est ab ecclesia papæ. Non enim solum nullam habet promissionem gratiæ ullibi positam: sed ne uerbo quidem eius meminit totum nouum testamentum: ridiculū autem est, asserere pro sacramento dei: quod a deo institutum, nusquā potest monstrari: Non quod damnandū sentiam eum ritum, per tanta secula celebratum: sed quod in rebus sacris, nolim humana commenta fingi: Nec liceat astruere aliquod diuinitus ordinatum: quod diuinitus ordinatum non est: ne ridiculi sumus aduersario. Conandū que sit: ut certa et pura nobis sint omnia, clarisque scripturis firmata: id quod in pręsenti sacramento pręstare ne tātillum quidem possumus.

Mentita est iniquitas sibi.

Secū plusq̄ ex diametro pugnat.

Quod nō sapis scriptura pręstat,

POVELVS.

QVO Lutheri odium et liuor prosiliant: quo furor tendat: et malicia seua feratur: uenenata eius uerba hic hodie commonstrant. Nempe ut omne sacerdotiū et ordinem ecclesiæ, ipse funditus conuellat: Nā eo semel euerso, eum aliorum sacramentorum omnium munus, ex

eo ſolo pendeat: nihil profecto reſidui erit: Niſi ut ſacerdotio cadente, cætera omnia ſacramenta etiã cum illo ruant. Quod homo iſte, in malum uel Argos oculatior ſatis perſpiciens, mox in ipſo auſpicio ait: Hoc ſacramentum eccleſia Chriſti ignorat: inuentumq́ eſt ab eccleſia papæ. O faciem impudentẽ et frontẽ ferream: Lutherus (apud quem nihil eſt antiquum: ſed ecce, noua facio omnia) ordinis ſacramẽtum, quod Chriſtus inſtituit: apoſtolis tradidit. Et quod apoſtolorum authoritas, per totum mundum eccleſiam docuit (uti cõſequens ſermo patentius declarabit) Hoc eſſe nouum, et ab eccleſia ignoratum: homo nequaq̃ catholicus, dicere non erubuit: Sed inuentum eſt inquit, ab eccleſia papę: omnia inuenta et noua eſſe affirmans: quæ ſaturnia non uincunt tempora. Sed perpende quęſo, apertum abſq́ rubore in hac re mendacem: Qui licet ſacramentũ ordinis ipſe paulo poſt aſſerat, a diuo Dioniſio, apoſtolorum contemporaneo eſſe edoctum, affirmatum, et creditum: Ait enim ſic. Scio Dioniſium ex antiquis habere pro ſeptenario ſacramentorum. Nũc tamen amiſſa fronte, nihil pudet dicere: ab eccleſia papæ recẽter eſſe inuentum: quod per tot retro ſecula antiquitus a Dioniſio, fatetur ipſe olim fuiſſe aſſertum. Sed adhuc ingenue oro Lutherum: Si tamẽ ſibi quicquid ciuilis animi inſuerit: Vt diſputãtibus nobis de ordine, cõcedat modo uel unũ Hieronymũ: Is enim ſuper Eſaiã locutus, de ordine clericali ait. Non eſt, inquit, peccatum leue, ordinem clericatus nequaq̃ ſanctis, nec in dei lege doctiſſimis tribuere: Cum Paulus ad Timotheum ſcribat: Manus nimini

Sua arma Lutherum profligant.

Hieronym⁹ ſeſe Luthero obicit.

cito

cito imposueris: nec cōmunicaueris peccatis alienis. Ecce Hieronymus Paulum in ecclesia Christi, ordinem clericalem posuisse, conspicue affirmat. Cur ergo Lutherus omnem ordinem negat? Quod si Hieronymum Luthere neotericum dixeris et neophitum: Qui hodie plusq̄ mille iā annos euicerit: Puto etiam quod nouellū dices: quicquid confusi chaos uetustatem non superat. Rursus appello te Luthere: In cuius cōspectu sunt mille anni, tanq̄ dies hesterna, quæ præterijt: Quid ad Ciprianum, apostolorū temporibus confinem, et quem tu tāti ducis, es modo dicturus? Quem compertissimum extat, in locis haud quaq̄ paucis, ordinem clericalem, sacerdotalem, una et diaconalem credidisse: creditumq; magna constantia in suis libris defendisse. Si enim hunc Luthere: Vt omnes homines æquales esse constituas: etiam nouicium dixeris: Profecto pariter et esse recenter nata ea omnia causaberis: Quę longum Platonis annum antiquitate non pręcedunt. Verum quo pacto, ordo sacramentum sit: paulo post suo loco dicemus cōmodius. Nunc uero abunde sufficiet monstrasse ordinem in ecclesia, non recentiore ætate partum: Sed ab apostolis prædicatum, et ab eorum sequacibus creditum: Non a papa nouiter inuentum: Sed olim a Christo institutum: Nec eo minus ais Luthere. Inuentū est, inquis, ab ecclesia papę: quasi ecclesia romana: Cui, tanq̄ Christi uicarius papa pręficit: recens et noua et non Christi ecclesia esset: Sed aliam potius malignātium ecclesiam depingas tibi Luthere in angulo: ubi paucorum susurrantium hæreticorum in tenebris contubernium conglobetur: quorū fuliginoso,

Citra confusum chaos Luthero nihil nouum.

fuliginoso collegio, ipse tanq̃ uertex teterrimus præsis. Nec profecto in hac re tantum papę: quantū Christo iniurie et contumelie errogatur: Nam multo reuera grauius Christi maiestatem, q̃ Romani pontificis authoritatem Luthere in hac re leseris: Dum sacramentū ordinis, quod ad conficiendum corpus suum uerum: et ad gubernandū corpus suum misticum, pro sua immensa sapientia et bonitate Christus instituit: Non a Christo, sed ab ecclesia papæ fuisse inuentū, impie licitaris, contendisq; nequius. Et tamen mox iam uersis uelis, pariter et remis, euestigio impudēs ais. Non hęc dico: quod damnandum censeam eum ritum, per tanta secula celebratum: sed quod in rebus sacris, nolim humana commēta fingi. Animaduertite iā quęso, palmę fiducia, Plutonis miles, q̃ insigne sibi ipsi bellum indixit: Non hęc dico, inquit, q͡ꝫ censeam damnādum eum ritum, per tanta secula celebratum. Porro si ordinem Luthere (quem iam ritum uocas per tanta secula celebratum) non hic damnas: Cur ergo impugnas? Imo cur ipse negas? Quin et si commentum humanum extiterit (ut tua in hoc negocio cōcertatio est) Cur, obsecro, ipse non damnas? Cum in ecclesia Christi q̃ cōmentum, nihil prorsus fuerit: Quod te oporteat, uel magis, uel certe citius damnare. Rursus si omnes, quocunq; iure fuerint æquales: (quemadmodū paulo inferius depugnas) quomodo, obsecro, omnem ordinem ipse non damnas: qui absq; ullo ordine, omnes homines cōstituis pares, et quo cunq; iure ęquales? Itaq; Luthere ordinem damnas, et nō damnas: negas, et non negas: Homo absq; ordine, capi-

Calcar addit Luthero uanę glorię cupido.

Haud obscurū dilēma i Lutherum.

tis uertigine et furijs, ultro citroqꝫ adeo circumactus: Vt quid concedas, aut neges: quid damnes, aut probes: omnino ignoras: Aut certe quo loco consistas: nusquam reperire iam queas. Omni in loco homo cæcus adeo male iã secum constat. Cur ergo Luthere modo, tanq̃ dedita cura in his, quę scribis: tantopere cum te ipso discordas: Præsertim cum res maximas, certum sit discordia dilabi? Nisi ut propria penitus molimina frustreris, et casses: et sponte te prebeas ridendum cunctis: Sed qui cũ scripturis discordat: mirum non est: si etiam cum se ipso turpiter dissideat. Nec deniqꝫ cunctos Lutheri pugnantium uerborũ aceruos, ad calculum modo accersio: Quod equidem si facerem, immodicus plane sermo: et codex supra modum exurgeret prolixior: Sed hoc unum hic uidere licebit: ꝙ q̃uis contra se ipsum Lutherus ubiqꝫ pugnat fortiter: aduersus scripturas tamen nusquam, nisi infirmiter: Quippe Christi clementia sępecule fit: Vt dum scripturas impurare hęretici studẽt: acriora in se ipsos, q̃ in literas sacras bella ciunt: Id quod in pręsentia amicus noster facit. Sed nullam, inquit Lutherus, promissionem habet gratiæ ullibi positam: Nempe hoc dicit nemo: nisi is, qui gratia uacat. Ioannes enim non negat: imo affirmat in uetere testamẽto fuisse gratiam Christi, sicut et Christi fidem: et si non ex ęquo: Gratia, inquit, pro gratia, gratia noui testamẽti, æternam gloriam aperte promittentis et efficaciter donantis pro gratia ueteris testamenti, terrenã gloriã policẽtis: non tamen ęternã præstãtis. Inter oĩa enim ueteris testamenti sacra: sanctius fuit sacerdotium Aaronicũ. Ideo si usquã

Ioan. 1.

Inter priscę et nouę legis gratiam quid itersit

in ueteri testamento largita est Christi gratia: In sacerdotio Aaronico profecto donata est. In hac re igitur deum audiamus: Quia hominem Lutherus non audiet. Inquit enim deus ad Moysen. Aaron et filios eius unges: et sanctificabis eos: ut sacerdotio fungantur mihi. Attende ergo sacerdotum unctionem, et ne illam putares, dumtaxat esse corporalem, et fuisse unctos Aaronitas, perinde atq; palestritas: Mox adiecit: Et sanctificabis eos. Sanctimonia autem non ad corpus, sed ad animam attinet. Gratiã ergo aliquam si promiserit, et dederit deus sacerdotio Aaronico: Sacerdotio euangelico quomodo maiorem non promisit et dedit? Sed nec de gratia quidem in ordine collata, siluit epistola Paulina: qui ad Timotheum scribens, ait. Noli negligere gratiam, quæ est in te: quę data est tibi per prophetiam, cum impositiõe manuum presbiterij. I.Tim.4. Et iterum epistola secũda. Admoneo te: ut resuscites gratiam: quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Non multa uerba, sed grandis contra Lutherum armatura. Siquidem uno ictu, triplicem Lutheri errorem ipse facile amputauit. Primo, sacerdotium ecclesiæ non esse institutum, per consensum communitatis: ut postea obgãnit Lutherus: sed per impositionem manuum presbiterij. Triplex Lutheri error a Paulo percutitur. Deinde qđ hic inficiatur Lutherus, gratia ordinatis ubertim donari. Resuscites, inquit Paulus, gratiam: quæ est in te, per impositionem manuum mearum. II.Tim.1. Postremo nec semel factum sacerdotem, posse deniq; per communitatis consensum, aliquando fieri laicum: ut ipse confestim post hac latrat: Quia auferre siquidem communitas non poterit:

rit: quod dare nequiuerat. De quo poſtea locupletius. Sed ne uerbo quidem eius, inquit Lutherus, totum nouũ teſtamentum meminit: et ridiculum eſt aſſerere pro ſacramento dei: quod ſcriptura non monſtrat, a deo inſtitutũ. Audite, rogo, cantilenam hãc, quam nobis Lutherus toties repangit: Nemine adhuc niſi inſano ad illam ſaliente. Scriptura non monſtrat, inquit, ordinem eſſe ſacramentum: Ergo non eſt ſacramentum. Nempe ad eundem lapidem, ſemper offendens: Hoc argutandi genere aduerſus nos, iam plus decies eſt uſus: Quaſi pulchra et elegãs dialectica eſſet, ex negatiua qđuis ſibi affirmare et aſtruere: Atq; ex particulari uniuerſalem ſubinducere. Quo factum eſt: Vt dum uideri uelit, dialecticus diſertus: Apparuit ipſe plusq̃ ſophiſta argutulus: Dialectica egens, quã toties contempſit: Quamq̃ negocio tam iniquo et impio patrocinari: nec ars nec ulla dialectica poterit. Cæterum diuinam promiſſionem in ſcripturis politam, et ſignum in hoc ſacramento diuinitus inſtitutũ, homo petulans procaciſſime a nobis exigit: perinde atq; nihil in Chriſti eccleſia aſſerendum foret: Quod patens ſcriptura non perſuaderet: Quod ſuperius quidẽ, uno et altero loco, locupletiore ſermone confutauimus: Et iccirco id modo non repeto, ne arguar actum agere: Verum ut nulla, quæ ad illuſtriorem ſacramentorum dilucidationem ſpectãt: iam omittamus: Sed ut luculenter aperiamus de ſacramentis, de eorum promiſſionibus, et de rebus alijs pleraq; credenda eſſe: quorum ſcriptura nihil cõminiſcitur: Illud in primis nobis aduertendum erit: quod totius trinitatis quæuis

Insignis Lutheri dialectica.

uis operatio ad extra (quauis nullo ſit modo partita) ſed in ſe prorſus una fuerit et indiuiſa. Tamen deum patrem primo in ueteri teſtamẽto hebręos docuiſſe potenter. At deinde dei filium in lege euangelica, Chriſtianos inſtruxiſſe ſapienter. At poſtremo quidem paracletum ſpiritum ſanctum, poſt Chriſti aſcẽſionem, diſcipulos informaſſe clementer, ſcriptura ſacra non tacuit. Et ideo quemadmodũ deus pater, in ueteri teſtamento, maxima reliquit filio ſuo in lege euangelica, Chriſtianis ſapienter docenda: Vt uel ex eo perſona filij, ſicut et patris, mortalibus innoteſceret: Vti Chriſtus ait: Vt omnes glorificẽt filium: ſicut et glorificant patrem. Ita procul dubio, Chriſtus in cęlum aſcẽdens, reſeruauit multa ac magna quoq; a paracleto ſpiritu ſancto poſtea diſcipulis clementer docenda: ueluti Chriſtus ait. Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo: ipſe uos docebit omnia: ſubaudi ad ſalutem neceſſaria. Vt eo demum pacto perſona ſpiritus ſancti non lateret homines in mundo: imo manifeſta fieret: et non minus ab illis coleretur, q̃ perſona patris et filij in cælo. Proinde Chriſtus in propria perſona: Et ſi omnium ſacramẽtorum inſtitutor extitit et conſecrator: Omnia tamen in euangelio aperte de his ſcribi noluit. quemadmodum ipſe ait. Multa habeo uobis dicere: quæ non poteſtis portare modo: ſed ea informanda apertius atq; clementius reſeruauit futuro magiſterio ſpiritus: qui diuinas promiſſiones, et ſacramẽtorũ ſigna diuinitus a Chriſto inſtituta, Chriſti diſcipulis clarius iſtrueret: non in pecuarijs brutorũ pellibus, ſed in rationalibus diſcipulorum mentibus,

Fideles ordine quodã ſcã trinitas perducuit. docet pater potenter. docet filius ſapienter. Docet ſpiritus ſanctus clementer.

Ioan. 14.

Ioann. 16.

Ioan. 16. Spũs ſcũs diſtinctius inſtruxit et apertius.

 ſolide

ſolide inſigenda: Quæ omnia, ut a ſpiritu ſancto citra codicẽ eruditi euaſerunt: Ita ipſi poſtea non ſcripto, ſed uerbo, non libro ſed uſu: eccleſię tradiderunt. Quas promiſſiones, quę ſigna, non ſolũ in ſacramento ordinis, ſed etiam in alijs ſacramentis eccleſiæ: Sicut ab apoſtolis et ſpiritu ſancto edocta fuerit: uſq; in præſentem lucem conſtantiſſime obſeruat. Et ideo ſi diuinas promiſſiones, ſi ſigna diuinitus inſtituta, in ſacramentis procus importunus amplius a nobis quæritet: Primo ipſe depoſito ſupcilio, abiectaq; pertinacia, reſipiſcens eccleſiam obtemperãter ingrediatur: et cum humilitate, quam hactenus nõ didicit: introeat: Conſpiciatq; homo parum catholicus, non aliam, ſed eandem ſacramentorum formam: quam eccleſia a ſpiritu ſancto, citra membranam, in ipſo initio declaratam accepit: hodie adhuc ab ea conſtanter teneri et credi, etiam ſi in euangelijs ſcripta non haberentur. Quia documenta ſpiritus non in corticibus arborum, non in corijs brutorum, ſed in codicibus multo antiquioribus nobilioribusq;: Nimirum cordibus ſunt incerta fidelium: Vt ſaltem uel eo inſtructus documento, ad ſacramentorũ fidem tandem correctior redeat: Et id quidem propere: Quandoquidem ſero ſapit ſtultus, accepto malo. Nam miſeret me tui mi frater Luthere: quod ingenium tuũ alioqui bonum atq; peracutum, ob quorundam in te maledicta, tam male exercueris. Præſtabat ſane in tuos emulos etiã lõge plus ęquo te laceſſentes, patientiam ſeruaſſe: q̃ in eos ita inſiluiſſe: Vt proprijs armis perires: q̃ q̃ eos nunq̃ laudauerim: qui te in hos impetus concitauerint. Alia enim uia

Salubriter admonetur Lutherus.

q̃ ma-

q̃ maledictis et probris, si te reuincere uoluissent: eis incedendum fuerat. Cum omne sacrificium sale condiri oporteat: nec certe ullus desperatę conditionis status: qui mirum in modum mortales cogit multa supra uires conari: mouere te debuisset: ut ob paucos, quos papistas uocas: catholicam ueritatem ubiq; tam uehementer impeteres. Cæterum ingenij tui robur et acrimoniã nunc satis superq; ostendisti: Quod hactenus parũ prospere tibi cessit. Reuertere ergo tandem mi Luthere: et memor esto Manasses: Melius est enim sero, q̃ ad ueritatem nunq̃ redire.

LVTHERVS.

HOC sane habet ecclesia: quod potest discernere uerbum dei a uerbis hominum: sicut Augustinus confitetur, euangelio se credidisse motũ authoritate ecclesiæ. Quæ hoc esse euangelium prędicabat. Sit certum tamen, ecclesiã non posse promittere gratiã: quod solius est dei: Et ideo non instituere sacramentum. Quare permitto ordinem esse quendam ritum ecclesiasticum, non sacramentum. Quid dices ad Dionisium: qui sex enumerat sacramenta: inter quæ ordinem ponit: in ecclesiastica Hierarchia? Respondeo. Scio hunc solũ haberi ex antiquis pro septenario sacramẽtorũ. Licet matrimonio omisso senarium tantum dederit: Mihi uero displicet tãtum tribui Dionisio: in quo nihil est solidę eruditionis. Nam ea, quę in cęlesti Hierarchia de angelis cõminiscitur: Qua, rogo, authoritate, aut ratiõe probat? Perniciosissimus ibi est plus platonizans, q̃ christianizans. Ita in ecclesiastica Hierarchia, quid facit: nisi quod ritus quosdam ecclesiasticos describit,

Frons uirginea sed cauda serpentina.

Loripes rexũ, cęcus uidentẽ, hęreticus catholicũ arguit.

ſolide inſigenda: Quæ omnia, ut a ſpiritu ſancto citra codicē eruditi euaſerunt: Ita ipſi poſtea non ſcripto, ſed uerbo, non libro ſed uſu: eccleſię tradiderunt. Quas promiſſiones, quę ſigna, non ſolū in ſacramento ordinis, ſed etiam in aliijs ſacramentis eccleſiæ: Sicut ab apoſtolis et ſpiritu ſancto edocta fuerit: uſq; in præſentem lucem conſtantiſſime obſeruat. Et ideo ſi diuinas promiſſiones, ſi ſigna diuinitus inſtituta, in ſacramentis procus importunus amplius a nobis quæritet: Primo ipſe depoſito ſupcilio, abiectaq; pertinacia, reſipiſcens eccleſiam obtemperātet ingrediatur: et cum humilitate, quam hactenus nō didicit: introeat: Conſpiciatq; homo parum catholicus, non aliam, ſed eandem ſacramentorum formam: quam eccleſia a ſpiritu ſancto, citra membranam, in ipſo initio declaratam accepit: hodie adhuc ab ea conſtanter teneri et credi, etiam ſi in euangelijs ſcripta non haberentur. Quia documenta ſpiritus non in corticibus arborum, non in corijs brutorum, ſed in codicibus multo antiquioribus nobilioribusq;: Nimirum cordibus ſunt incerta fidelium: Vt ſaltem uel eo inſtructus documento, ad ſacramentorū fidem tandem correctior redeat: Et id quidem propere: Quandoquidem ſero ſapit ſtultus, accepto malo. Nam miſeret me tui mi frater Luthere: quod ingenium tuū alioqui bonum atq; peracutum, ob quorundam in te maledicta, tam male exercueris. Præſtabat ſane in tuos emulos etiā lōge plus ęquo te laceſſentes, patientiam ſeruaſſe: q̄ in eos ita inſiluiſſe: Vt proprijs armis perires: q̄q̄ eos nunq̄ laudauerim: qui te in hos impetus concitauerint. Alia enim uia

Salubriter admonetur Lutherus.

q̄ ma-

q̃ maledictis et probris, si te reuincere uoluissent: eis incedendum fuerat. Cum omne sacrificium sale condiri oporteat: nec certe ullus desperatę conditionis status: qui mirum in modum mortales cogit multa supra uires conari: mouere te debuisset: ut ob paucos, quos papistas uocas: catholicam ueritatem ubiq; tam uehementer impeteres. Cæterum ingenij tui robur et acrimoniã nunc satis superq; ostendisti: Quod hactenus parũ prospere tibi cessit. Reuertere ergo tandem mi Luthere: et memor esto Manasses: Melius est enim sero, q̃ ad ueritatem nunq̃ redire.

LVTHERVS.

HOC sane habet ecclesia: quod potest discernere uerbum dei a uerbis hominum: sicut Augustinus confitetur, euangelio se credidisse motũ authoritate ecclesiæ. Quæ hoc esse euangelium prędicabat. Sit certum tamen, ecclesiã non posse promittere gratiã: quod solius est dei: Et ideo non instituere sacramentum. Quare permitto ordinem esse quendam ritum ecclesiasticum, non sacramentum. Quid dices ad Dionisium: qui sex enumerat sacramenta: inter quæ ordinem ponit: in ecclesiastica Hierarchia? Respondeo. Scio hunc solũ haberi ex antiquis pro septenario sacramẽtorũ. Licet matrimonio omisso senarium tantum dederit: Mihi uero displicet tãtum tribui Dionisio: in quo nihil est solidę eruditionis. Nam ea, quę in cęlesti Hierarchia de angelis cõminiscitur: Qua, rogo, authoritate, aut ratiõe probat? Perniciosissimus ibi est plus platonizans, q̃ christianizans. Ita in ecclesiastica Hierarchia, quid facit: nisi quod ritus quosdam ecclesiasticos describit,

Frons uirginea sed cauda serpentina.

Loripes rexũ, cęcus uidentẽ, hęreticua catholicũ arguit.

scribit,

ſcribit, ludens allogorijs : quas non probat? Mihi non fuerit operoſum meliorem hierarchiã ſcribere q̃ ſit Dioniſij.

POVELVS.

SI ENIM, ut Lutherus ait : et quod certe uerisſimũ eſt : hoc tanq̃ peculiare quiddam ad Chriſti eccleſiam ſpectat : ut uerba diuina ab humanis, ſuo iudicio, ipſa ſecernat : Cum igitur cuncta epiſtolarum Pauli uerba, cęleſtis gratię rore plena, tanq̃ a Chriſto dicta, eccleſia ſemper
2.reg.13. acceperit : Quo etiam modo ab omnibus ſumi Paulus etiam ipſe admonuit : dicens : An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus : Cur ſuperius affirmarat Lutherus Paulum uerba dei : geneſ.2. de matrimonio dicta proprio ſpiritu traxiſſet ad Chriſtum? Quando uerba illa non tanq̃ a Paulo, ſed ueluti a Chriſto locuta, et ipſa ſcripturę litera indicat : et eccleſia ſemper cenſuit. Imo cum epiſtolam canonicam Iacobi non tanq̃ uerba humana, ſed diuina in ſcripturæ canonẽ eccleſia Chriſti recepit. Propterea ꝙ Chriſtus ſuis apoſtolis dixit. Non enim uos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus, qui loquitur in uobis : Cur hic paulo poſt, contra ſacramentum extremæ unctionis deblaterans : uerba Iacobi nullo pacto pro diuinis admittit : Cũ illa nerba tanq̃ a Iacobo diuinitus locuta : eccleſia ſemper profeſſa fuerit. Quare igitur in iudicandis diuinis, ipſe normam non obſeruat : quam ſtatuit? Sed telã texens Penelopes : quod Paulo ante ſtruxit : mox penitus ipſe deſtruxit. An te callide Luthere iam ſic delectat ludere : ut ludus quoq; ſpecioſus atq; iucundus tibi uideatur de diuinis ſermonibus ſecernẽdis primo legẽ ſtatuere?

Sua tendicula Lutherus capitur.

Geneſ.2.

Marci.13.

Lutheri inſcitia in propriã incidit decipulam,

prius cõcepta lutherus iã abortit,

ere: ac deinde ad iudicij tui tribunal nos uocare, et tamen postridie contra statutam legem, Iacobum simul et Paulum confundere, etiam legem, quam tulisti ipse: non serens? Quippe re alia nulla q̃ urgente ipsa ueritate, quæ aliquando uerum dicere, uel ipsum genium malum cogit: adactus es: ut ad ecclesiam spectare diceres, uerba diuina ab humanis dijudicare. Et iccirco non poterit non patentissime consequi: si hoc ecclesię donatũ fuerit: ne ipsa a recto ueritatis erraret methodo: et ne humana uerba pro diuinis forte arriperet: cũ multo perniciosius, et longe quidẽ grãdiore animarũ iactura erratur, in sensibus q̃ in uerbis, in rebus q̃ in sermonibus: multo profecto magis tribuerit Christus ecclesię suę: ne a ueritatis scopo abieret: ut in scripturis sensũ uerũ a falso, et traditiones diuinas ab humanis ipsa discriminet. Alioqui deus, q in minore rerũ dispẽdio ecclesię suę, ne a uero exorbitaret: suppetias tulerit: in maiore plane ipsam prorsus deseruerit. Cũ in re quidẽ alia nulla uel deus ipse magis offenditur: uel anima nostra grauiore periculo naufragatur: q̃ si in ijs, quę nec conferunt gratiam: nec salutem pręstant: nostram fiduciam aliquando ponamus. Quamobrem si id, quo nihil est uerius: et ipse cõcedis Luthere: deus ecclesię suę, ne ipsa per amfractus et calles deuios obambulet: id abunde satis erogauerit: ut traditiones diuinas ab humanis fideliter secernat: Ecclesia autẽ septem sacramenta nõ pro humanis, sed pro diuinis traditionibus semp̃ accepit: quomõ, quęso, ex confesso tuo tã claro nõ erit sequela, et ea quidem lucidissima, septem sacramenta non humanitus (ut tu garris)

ris) ſed a deo diuinitus fuiſſe eccleſiæ omnino tradita? tam in promptu ubiq; eſt: ut tua in te Luthere ſemper militēt. Verum Dionyſio nō tam apoſtolorum coetaneo q̃ Pauli diſcipulo, qui in cęleſti Hierarchia de angelorū ordinibus, et in eccleſiaſtica de ſacramentis, catholice et eximie ſcripſerit: tu Luthere, qui nō ſolum omnem ordinem, ſed etiā omnia ſacramenta negas: mirū in modum hic ſtomacharis. Quia mihi diſplicet, inquis, tantum tribui Dionyſio. Nam ea, quę in cęleſti Hierarchia de angelis comminiſcitur: qua, rogo, authoritate probat? Eſt enim ibi pernicioſiſſimus plus platonizans, q̃ chriſtianizās. Ecce q̃ ſis homo diuorum contemptor execrandus: cui diſplicet, impius et apoſtata cum ſis: quicquid pium aut uerum fuerit. Nam tu, qui ſuperius Paulū uerba dei ad ſenſum ſuū ui traxiſſe, impudente ore, fueras mentitus: Nunc Dionyſium Pauli diſcipulum, in cæleſti Hierarchia de angelis pernicioſe ſcripſiſſe, pari impudentia contendis. Nam ea inquis, quæ in cæleſti Hierarchia de angelis comminiſcitur: qua, rogo, authoritate probat? Eſt ibi enim pernicioſiſſimus plus platonizans q̃ chriſtianizans: parum arbitratus Luthere Paulum, Dioniſij pręceptorem, maledictis ferire: niſi etiam in diſcipulum cōtumelijs et probris debacchareris et fureres. Sed auibus Luthere nequaq̃ bonis es rem auſpicatus: ut ex conuitijs in diuos tibi laudē aucupari ſperares. An forte confidis, quod in Herculem Cacus, aut cornix in aquilam, aliquando epinitia canet? Sulte ergo in illos ferox inſurgis: quibus, ſicut nec nocere queas: ita illis conuitiando non poteris diuinam iram nō

maxime

maxme in te prouocare. Sed nunquid Luthere ideo Dionysius platonizat alicubi: quia tu vvicleſizas ubiqꝫ? qui non Platonem, uerum Plutonem tibi nunc in monitorem delegeris? Neqꝫ enim ob id Dionysius, Luthere, est perniciosissimus: qa tu euasisti schismaticus et hæreticus perditissimus. An forte de angelis, de ecclesię sacramentis, iccirco Dionysius perniciose scribit: quia hęretico capiti tuo ipse lapidem elisit? Ventum enim feris, et umbrā flagellas Luthere: dum probris tuis, quæ pectoris tui atrocitatem indicant: Dionysij candorem posse denigrari fiducia duceris: imo ubi Dionysij famam uerborum maledicentia labefactare magis studes: Ibi celebri præconio eum uel inuitus effers: et laude attollis maiore. Quoniam tunc procul dubio catholicus laudatur optime: cum ab hęretico pessime inculpatur. Quandoquidem nō possunt mali bonos, scelerati pios, hæretici catholicos, non plurimum odire. At mihi, inquis, non fuerit operosum meliorem Hierarchiam scribere, q̄ sit Dionisij: acres Luthere tibi addit stimulos uana cupido gloriæ: qui tumentibus ac magnis buccis hic propriam gloriam in altū tonas: cuculus in cantu se ausus præferre luscinię. Mihi, inquis, non fuerit operosum meliorem Hierarchiam scribere: q̄ sit Dionysij. O hominem inflatum et turgidum atqꝫ ipso quoqꝫ lucifero superbiorem, qui ultro tibi ipsi confusionem accersis. Nam cum de cælesti Hierarchia, sicut nec de sacramentis, nihil Dionysius aliquādo scripserit: quod ex diuo Paulo, ad tertium usqꝫ cælū rapto, ipse prius non didicerat: non eo setius te Trasonem nihil puduit osten-

tando iactitasse: facile tibi fore, meliorem Hierarchiã docere, q̃ sit Dionysij: atq; arrogare tibi, posse athenienſem Arriopagitam Pauli diſcipulum, in hoc negocio melius inſtruere: cum prodigioſa res ſit, et incredibile profecto monſtri genus: ut ſus Mineruam doceat: idiota doctum: ſophiſta philoſophũ, Lutherus Dionyſium erudiat: præſertim in re tã ardua, qualis eſt noticia hierarchica: de qua ſuo loco agemus tecum poſtea. Sed puto equidem te non de cælesti Hierarchia, cum qua nullum commercium habes: uerũ de Hierarchia infernali, ubi ſunt principes et poteſtates tenebrarum: quo tu præceps properas: ſolum fuiſſe locutum: ut de illis, et non de bonis angelis, aliquando melius eſſes ſcripturus: nouã de cacadæmonibus Hierarchiam nobis editurus. Q; ſi id effeceris: non eſt: quod multum miror. Nam cum in dæmonibus, uti diuus Dionyſius catholice ſimul et doctiſſime nos admonet: tria ſint: uidelicet fantaſia proteruiens, ueritatem impugnãs, quæ tibi Luthere non deeſt: deinde concupiſcentia amẽs, qua ea, quæ ſibi obſunt: ſemper affectant: qualis eſt hominum temptatio, eorum pœnam grauiter accumulans: quo malo nec tu cares. Poſtremo furor intolerabilis per blaſphemiam in deum, in angelos, in ſanctos ſeuiens: quod etiam tu (ut de Hieronymo, de Dionyſio, et alijs diuis, quos maledictis perſequeris: nunc ſileam) etiam in Chriſti uicarium, et omnes catholicos facis. Nõ eſt ergo: cur ullo ſtupore affici debeam: ſi in ijs docueris grandiora. Nam cum in ijs dæmonum affectibus laboras maxime: poteris et de illis etiam Hierarchiam aliquam ſcribere apertiſſime.

apertissime. Nec ista nūc cōtinuo dixerim Luthere, quod uelim tibi displicere: par pari referre: aut tibi retaliare cōuitia (tametsi iniustū nō fuerit: ut malus nodus malo cuneo findatur) sed ut uno uero et leuiusculo in te iaculato uerbo, facile conijcias: alios q̄ grauiter offendat falsas et sulfureas, a te in illos detonari sententias.

LVTHERVS.

POST hoc apprendunt extremum roboris sui. Nempe quia Christus in cœna dixit: Hoc facite in meam commemorationem: Ecce, inquiunt, hic Christus eos ordinauit sacerdotes: hinc et inter cætera dixerunt: solis sacerdotibus utramq; speciem dādam. Deniq; quiduis hinc suxerunt: ut liberum arbitrium sibi arrogauerint: e uerbis Christi ubilibet dictis, quodlibet asserrere, Sed respōde, quæso, hic nihil promittit: sed tantum pręcipit illud fieri in sui memoriam: cur non concludunt: et ibi ordinatos esse sacerdotes, ubi Christus imponens officium uerbi et baptismatis dixit: Ite, pręedicate euangelium dei omni creaturæ, baptizātes eos in nomine patris et filij et spiritussancti. Quis uero antiquorum patrum asseruit, ijs uerbis, ordinatos esse sacerdotes? Vnde ergo ista intelligentia noua?

POVELVS.

LVtherus uero, omni armorum genere sacramentum ordinis oppugnās, simulac conspexerat, nulla scriptura, nulla ratione, nullo deniq; uel uero argumento se assequi posse conatum: ut sacerdotij ordinem persuaderet, a Christo nequaq̄ institutum: continuo uulpem agens cal-

lidiſſimam, ad nugamenta et ludibria ſe uertit: ſperans ſe facere poſſe, irridendo (in quo nonnihil poſſit) quod nullo modo efficere quiuerat diſputando. Et ideo homo plus q̃ geſticulator ſacrilegus, in quo etiam Antichriſtum facile dignoſcas: uerba Chriſti, quibus poteſtatem conficiendi uerum corpus ſuum ſacerdotibus dedit: cœpit irridere et illudere, ſannijs et ludibrio (quod ſibi non iuſuetum, ſed familiare eſt) pro armatura uſus. Poſt hoc, inquit, apprehendũt extremum roboris ſui. Nempe quia Chriſtus in cœna dixit: Hoc facite in meam commemorationem.
Matth. 26. Ecce (inquiũt) hic Chriſtus ordinauit eos ſacerdotes. &c. quo facile intelligas lector: q̃ impie uerba Chriſti, unde promanauit ſacerdotibus tam immenſa authoritas: Lutherus ipſe nũc riſui habet: Quia facilius profecto eſt homini, qui hæretico rotatur ſpiritu: de uerbis Chriſti impiam reſarcire calumniam, q̃ ueritatis attingere ſcopum: et apertam euangelij interuertere intelligentiam, q̃ rectũ illius ſenſum capeſcere. Nos tamen Chriſti euãgelium reuerenter et uere expendentes, quid in hac re ſcriptura uelit: ſyncere et caſte interpretemur. Sacerdotes enim euangelicos non tam ſuper corpus Chriſti uerum, ut illud conficiant: q̃ ſuper corpus eius miſticum, ut illud gubernent: poteſtatem habere, omnis, qui ſano capite euangelium legerit: facile quidem intelligit. Quoniam nullus ſane fidelium, nec ipſe quidem Lutherus (modo quicquam fidelitatis ſibi inſuerit) inficias ire poſſit: tunc Chriſtum apoſtolis prebuiſſe poteſtatem ſuper corpus eius uerum, ut illud conſecrarent: quaudo in cœna illis dixit: Hoc facite in

meam

meam cōmemorationem: Et ideo in hoc te Luthere nunc primum conuenio: si ijs uerbis: Hoc facite in meam commemorationem: discipulos Christus non ordinauit sacerdotes: dic nobis, rogo, quibus alijs uerbis, ad consecrandum corpus suum, illis facultatem prebuerit: sat scio nusq̄ reperies: nec te, reor, tam uanū aut mentis exortem esse (licet multa simules arguente te corde tuo) ut dicas apostolos, consecrandi corporis Christi potestatem sibi arrogasse: et non potius Christū eam illis dedisse. Quapropter negare profecto non debueras, ijs Christi uerbis apostolos constitutos sacerdotes, cum uerba alia Christi, quibus id factum sit: nō possis ipse ostendere: nec quis certe catholicorum usq̄ hęsitauerit, Christum ibi donasse discipulis authoritatem super corpus suum misticum, ubi in euangelio illis dixit: Quorum remiseritis peccata: remittentur eis: et quotum retinueritis, retenta erunt. Cum igitur sacerdotibus euangelicis super corpus Christi uerum ut illud consecrent: simul et super corpus eius misticum, ut illud moderentur et regant: tam immensam potestatem a deo largitam, Christi euangelium iam palam edocuit. Ioan. 20.
Quid nunc habes amplius Luthere: quod cōtra euangelicum sacerdotium deinceps mussites? Nisi uelis in hastæ cuspidem ultro insilire: et in Christum, qui tantam sacerdotibus authoritatem tribuerit: cristas erigere: et temeritate spontanea (quod diabolicū est) ob id aduersus Christum dimicare et furere. An forte dices Christum in cœnā eandem potestatem super Corpus suum uerū etiam prebuisse laicis? Nempe hoc ab omni ueritate prorsus peregrinū

gtinum esse supra libro.20. ex euangelistarum uerbis tam clare ostendimus: ut nemo de hoc ambigere ullo pacto possit: nisi tu, qui in sole caligans, nodum in cirpo quæris: et omnes christianos contendis æqualiter esse sacerdotes: quem errorem uniuersa scriptura confundit: quod mox postea uel inuitus audies: et certe dilucide intelliges: nisi forte recte incedere cancrum docuero. De potestate autem super corpus Christi misticum in duplice foro: uidelicet publico et priuato, quam sacerdotibus suis tribuerit Christus libro.1. ex ipso euangelio apertius dixi et copiosius: q̃ nũc sit opus repetere: nisi forte uelit quis mãsum remandi. Sed scio equidem Luthere, hoc te a nobis procacissime exigere: ut e scripturarum saltu uenemur tibi, in sacerdotio diuinam promissionem, sine qua ordinẽ sacramentum esse non credis: et propterea hic dicis: Responde, quæso, Christus ubi discipulis suis dixit: Hoc facite in meam commemorationem: quid illic ipsis spopondit: plane in hoc, inquis, ibi illis nihil promisit: sed tantũ præcepit istud fieri in sui memoriam. At ego nũc Luthere te admodum rogatum uolo: ut modeste hic audias: et id quidem aure non sinistra sed dextra: (si tamen tibi dextra fuerit: qui longe antea dextram amiseris) Christus enim suis discipulis in cœna dixit: Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Nunquid his uerbis sacerdotibus nihil promisit? Nonne remissionem peccatorum ibi policetur? Sed dices, ista plane promissio non tantum sacerdotibus, uerum communiter et alijs facta est. Nempe

tãetsi

tametſi etiam alijs, tamen multo omnium maxime ſacerdotibus, quorum authoritate tantum ſacramentum conficitur: et a quibus pro ſe et alijs deo patri offertur et ſumitur. Sed ut tibi Luthere os obſtruatur: ne rurſus oblatres: aliud in hac re adhuc clarius dicamus. Verba enim Chriſti apud Matthęum de conſecratione, Paulus ad Corinthios dilucide enucleans docet: Chriſtum non ſolum in panis, ſed etiam in uini conſecratione dixiſſe: Hoc facite in meam commemorationem: id quod citra controuerſiam nullus euangeliſtarum dixit. Quamobrem cũ Chriſtus apud Matthæũ dixit: Bibite ex hoc oẽs: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti: qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: et, teſte Paulo, Chriſtus continuo ſubiecit: Hoc facite in meam commemorationem. Matthęi.26
Abs te Luthere ſtipulor: an Chriſtus ſolis ſacerdotibus, aut ſimul laicis et ſacerdotibus dixit: Hoc facite in meam commemorationem: non autem laicis et ſacerdotibus ſimul, cum tu, qui abſq; ſcripturis nihil credendum aſſeras: pro te in hac re nullas ſcripturas habes: quin et euangeliſtæ, uti libro.2. diſſeruimus: hunc errorem ualde auerſantur: q̃q̃ et in hoc etiam ipſe te ipſum ſatis confundis: qui paulo poſt nullum laicum in ſacerdotium ſumendum doces: niſi ex conſenſu communitatis. Sin uero ſolis ſacerdotibus hoc dixit: quemadmodum non alijs dixerit: cum illis præcipue facta ſit peccatorum remittendorum promiſſio: quibus dixit: Hoc facite in meam cõmemorationem. Profecto non poteſt ſubinde non apertiſſima conſecutio eſſe: id genus promiſſionem diuinam, multo omniũ max-

ime sacerdotibus fuisse factam: ut qui pro se et pro populo deo tantum sacrificium consecrarent, et offerrent: ipsi tanq̄ pręcipui, diuinę promissionis etiam in primis participes essent. Quin et ad ipsam ueritatem euangelicam nihil non addit Paulus: qui, ad Timotheum scribens, ait:

I.Ti.4. Noli negligere gratiam, quæ in te est: per impositionem manuum presbiterij: his uerbis haud obscure docens, in sacerdotij collatione gratiam tribui. Cum ergo gratia dei,

Roma.6. quæ, teste Paulo, in sacerdotio donatur: sit ipsa gloria inchoata: licet non consummata, ut ipse ad Romanos ait. Gratia dei uita æterna: quomodo, obsecro, sacerdoti non promittit gloriam: qui dedit illi gratiam? quādo gratiam et gloriam dabit dominus? Quin si id, quod uerū est: qui plantat uineam, policetur fructum. Qualiter, rogo, fieri possit: ut is, qui sacerdoti prębuerat gratiam ęternę felicitatis radicem: etiam illi non spoponderit gloriam et immortalitatis coronam? Cur ergo Luthere obgānis, sacerdotibus a deo nihil promitti: Cum illis peccatorum remissionem Christus palam spoponderit: et in gratia etiam ęternitatis gloriam promiserit? Nisi quod simplices fallere, et mendacijs omnia farcire studes: adeo malicia exoculatus, ut hodie ea non uideas: qui etiam uel trimulo pateāt. Sed importune adhuc urges Luthere: nullo uolens satisfieri responso. Quis, inquis, antiquorum patrum aliquādo dixit: ijs uerbis, uidelicet, Hoc facite in meam commemorationem: ordinatos fuisse sacerdotes? Quid de antiquis patribus, quorum iudicium non curas, imo damnas: nunc nos interrogas Luthere: pręsertim cum citra sciptu-

ras, et easdem canonicas, nihil prorsus est: quod admittis? Et tñ nihil te pudet a nobis stipulari: Quis antiquorum patrum, inquis, dixit: ijs uerbis sacerdotes constitui? quasi tu catholicorum et antiquorũ patrum uelis tandem discipulus esse: et illis aliquando fidem habere: cũ re uera aliud non sit: quod ipse minus studes. Tamen non dedignor tibi respondere: qui ut de Cipriano, de Damasceno, et alijs patribus antiquis non paucis, qui hoc nõ obscure dicunt: hic compendij causa conticescam: Augustinus ad fratres in heremo id docet: et ita docet: ut nihil doceri possit apertius. Peractis et cõsummatis, inquit, sacramentis, factis et ordinatis in cœna apostolis sacerdotibus, et lotis eorum pedibus, iterum intrauit ad mẽsam. Ista enim sunt Augustini ad uerbum: sed puto equidem uel impudenter Augustinum, uel certe impudẽtius hoc eius esse opus negabis, id enim omnium hæreticorum mos est: ut si cuiuspiam celebris uiri authoritas, in mediũ aduersus eos ducatur: ilico, si res urgeat: uel ipsum authorem, uel certe eius esse opus et uerba, negare. Verum ut in hac re Luthere tecum nihil causemur: tribuo tibi ex sententia (quando ita uis) opus hoc Augustini nõ esse: tametsi demiror: unde tibi tam emunctæ nares: ut hoc odorare nunc possis: quod orthodoxorum antea olfecit nemo. Sed nunquid ipse etiam in hoc sacramento Paulum negabis? quemadmodum in sacramento matrimonij superius facere non erubuisti? Nam Paulus, ad Titum Cretensem archiepiscopo scribens, ait: Reliqui te Cretæ: ut ea, quæ desunt: corrigas: et cõstituas per ciuitates presbiteros: sicut dispo[s]ui Tit. 1. Actuũ. 14.

tibi. Et rursus, actuũ decimo quarto, scriptum est. Cum Paulus et Barnabas in Lystra, Iconio, et Antiochia per ciuitates presbiteros ordinassent: commendabant eos domino. Quibus ergo uerbis Paulus et isti ordinabant sacerdotes? Nonne uerbis Christi, et quibus uerbis Christi? nisi illis, quibus in euangelio, super corpus suum, sacerdotibus potestatem donauit. Cur ergo ista ab apostolo tã aperte locuta Luthere non auscultas? Cur in sole tam clare exposita non cernis? nisi ꝙ tenebras passus plusq̃ ægyptias: tibi, ne uideas, etiam puluere oculos ipse offundis? et ne ueritatem audias: aures pessulo obdis? et ideo perdita profecto iam foret omnis opera nostra cum oleo, obtulisse hic balsamum naso purulento, lucernam cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto, nisi quod ualde speramus: saltem alios ijs uerbis, ne de ueneni tui cisternis potent: hic satis admonuisse. At postremo tanq̃ homo, ad omnẽ ueritatem stupens, attonitus, in calce etiam addis. Pape, inquis, admiror: quæ ista intelligentia noua? An Luthere id nouum dices: quod Christus instituit? Apostolicus cœtus uniuersum mundum instruxit? Paulus nõ solum per Lystram, Iconium, Antiochiam, et alias ciuitates, sed etiam per totum orbem prædicauit? Mira insania tua, qui nihil pro antiquo ducis: quod multas non transcendat annorum myriades: nisi forte sacerdotium ecclesię iccirco nouum dixeris: quia non ex uetere, sed e nouo testamento proficiscitur. Et propterea quicquid de sacerdotio euangelico dicitur: intelligentiam nouam forte uocas: quia a Christo in nouo testamento omnino prodierit.

Lu-

LVTHERVS.

QVotquot baptizati sumus: sacerdotes reuera sumus: Sic enim. 1. Petri dicitur. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, et sacerdotale regnum. Quare omnes sacerdotes sumus: quotquot christiani sumus: sacerdotes uero, quos uocamus: ministri sunt ex nobis electi: et sacerdotium nihil aliud est, q̃ ministerium: sicut 1. Corin. 4. Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum dei. Et sacramentum ordinis aliud esse non possit, q̃ ritus eligendi concionatoris in ecclesia. Sic enim per Malachiam diffinit deus sacerdotem: Labia sacerdotis custodiunt scientiam: et legem ex ore eius requirēt: quia angelus domini exercituum est: Inde enim et pastores dicuntur: quod pascere, id est docere debeant.

POVELVS.

MArtinus noster mordicus, cuius uerba aloes sunt, et abscinthium: hodie spumans et sudans, contra sacramentum ordinis non exigua nititur: grandia facturus: si essent sibi uires pectoris sui malicię pares: aut impio animo robora optata responderent. Nam quid est, rogo, ut susceptum errorem pertinatius defendat: quod modo intactum, aut intemtatum usq̃ reliquit? qui nullum lapidem non mauet: quo sacramentum ordinis subuertat. Namq; de scripturis nihil est penitus: quod curat: modo pro sua libidine earum castitatem prostituat: et ad sensum suum omnia pelliceat. Et iccirco qui huic scripturas apportat: aliud profecto facit nihil: q̃ si amictum insano texat

Oresti. Quandoquidem litteras sacras deprauate intelle-
ctas, id quod Arrius et reliqui hæretici aduersus catholi-
Matthę.4. cos semper fecere: in nos iaculatur. Nec mirũ id quidem,
quãdo et diabolus aduersus Christum scriptura est usus:
et contra Moysen magi egyptij sunt mira portenta opera-
Exo.7. ti: neuter tamen recte. Vnde et ut erroris sui negociũ Lu-
therus uigetius muniret: operose nititur, argumentis qui-
busdam monstrare, cunctos mortales citra delectum sa-
cerdotij authoritate pares: et id quidem efficere, pręcipue
e scripturis molitur: aranearum more, quæ nequaq̃ succũ
salubrem, sed ab heliotropijs uirus sugũt. Nam quia om-
I.Petri.2. nibus christianis dixit apostolus Petrus: Vos estis genus
electum, regale sacerdotium, et sacerdotale regnum: Cõ-
tendit mox subinferre Lutherus, omnes christianos æque
esse sacerdotes: homo in scripturæ interpretatiõe sinistra
Pegaso celerior, in dextra autem testudine tardior: se the-
ologum pretendens, et sophistam agens. Nam cur, quę-
so, homo ad solem stertens, etiam non intulit: uniuersos
christianos æqualiter esse reges? Quando e uerbis Petri ę-
Apo.5. qualiter tribuitur illis regnum: sicut et sacerdotium: uti e-
tiam in Apocalipsi scribitur: Fecisti nos deo nostro regnũ
et sacerdotes. Quare ergo ex eo nõ collegit cunctos Chri-
stianos ex ęquo esse reges, et regali authoritate pares: si-
cut et sacerdotes: cum scriptura utrumq; æqualiter affir-
met? nisi φ capiti suo offensis regibus impius metuebat.
Exo.19. Nunquid Luthere quia omnibus hebreis dixit deus: Si,
inquit, custodieritis pactum meum: eritis mihi regnum
sacerdotale, et gens sancta: ideo omnes hebrei reges fuere

et

et ſacerdotes? Tota Luthere aberras uia. Nihilominus clara ſunt et conſpicua Petri uerba: licet ea acies hallucinans, et lippi non cernunt oculi: magna enim oſcitantia, uel potius malicia effectum eſt: ut a te Luthere iſta nō uideantur. Namq; ſi ad ipſam litteræ circumſtantiam, quæ, teſte Auguſtino, ſcripturam illuſtrat: oculos diligenter uertiſſes: et tanq̄ linum lino nectēs, locum unum, et item alterum illius capitis, inter ſe contuliſſes: ab hæreſe iſta, quæ diuina ſimul et humana confundit: longe abhorruiſſes. Attende igitur Luthere (ſi tamen ſaxo modo nō loquor) Nam Petrus in littera iam continuo pręeunte, Chriſtum uocauit lapidem offenſionis, et petram ſcandali: more ibidem ſcripturæ, elegante tropo uſus: et ſubinde inferens omnibus Chriſtianis ait: Vos autem genus electū, et regale ſacerdotium: ibi etiam metonymiam ad rem nō inepte uſurpans. Quod profecto te Luthere ad uigilantiorem exactioremq; negocij ueſtigationem expergefeciſſet: ut rem intimius ipſe indagares. Eo ergo modo Petrus uocauit omnes chriſtianos ſacerdotes: quo Chriſtum uocauit lapidem offenſionis, et petram ſcandali: non autem re fuit lapis, aut petra: uerum typo quodam et ſimilitudine ſola, qua mortales ad petram ſepeculę pedes offendūt. Haud ſecus ergo Petrus uocauit omnes chriſtianos reges et ſacerdotes, non autem re, ſed quadam figura et ſimilitudine: ut eo demum pacto, tropus ille poſterior ad priorē concinne alluderet. Quippe quemadmodum reges ſua regna, oppreſſis malefactoribus, in ęquiate gubernant: ita quidē et chriſtiani, domitis corporis et animæ affectibus, ſpiritum

I. Pe. 2.

ſpiritum uirtutibus regularent. Quia latius regnas auidū domando ſpiritum: q̄ ſi Libiam remotis gadibus iungas. Prouer.16. Id quod in prouerbijs Salomon ait: Melior eſt ſapiens uiro forti: et qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Nuncupantur etiam et cuncti Chriſtiani a quadā ſimilitudine, ſacerdotes: cum ipſi ſuo modo deo, pro ſuis peccatis, tria ſacrificare habent. Nempe corpus per abſtinentiam, diuitias per elemoſinam, animam uero per orationis deuotionem, cordisue contritionem. Pſal.50. Quia ſacrificium deo ſpiritus contribulatus: et ob id, non iniuria, uocat petrus cunctos Chriſtianos ſacerdotes, non autem re, ut iam dixi: ſed quodam typo et ſimilitudine. Quod ſi ego tacerem: iſta tamen ita intelligenda eſſe, ipſa ſcripturæ phraſis haud obſcure doceret. Et ideo clarior nimirum eſt hęc res: q̄ ut quis ad eam uidendam conſpicilijs egeat. Præſertim cum in ea epiſtola Petrus haud ſecus ſacerdotes a plebe diſcriminat; atq; paſtores ſeparantur a grege: I.Pe.5. ait enim: Paſcite, qui in uobis eſt: gregem dei: atq; ſubinde addit: Cum apparuerit princeps paſtorum: percipietis imarceſſibilem gloriam. Quo clare eniteat ibi Petrum docere: inter ſacerdotes et populum non minus eſſe interualli: q̄ inter cuſtodem caularum et pecudem gregariam. Proinde populum et prȩlatos Luthere nequaquam iuſte conſtituis pares: non magis profecto, modo Petro credideris: q̄ ſi diſcipulum didaſculo, aut oues paſtori æquaueris. Quamobrem iam equidem pluſ q̄ demiror Luthere, quomodo ex uerbis Petri tam ſanis pullulauerit in te hæreſis germen tam peſtiferum: niſi q; in ſterquiliniū

ſuaui

ſuaui ſtillante pluuia: Quid illic naſcitur? niſi rũca, urtica et lappa? Quæ in tellurem ſi rorauerit puram: liguſtra quidem florerent et uiolæ. Cernis ergo: niſi forte oculos clauſeris: iam aperte deprehendi impoſturam tuam, et ꝙ nõ ueris, ſed male inuerſis ſcripturis, erroribus tuis fidem et pondus conciliare eniteris: adeo pro delicijs habes obſcurare uera, et falſa celebrare. Sed cur, quęſo, omnes chriſtianos æqualiter eſſe ſacerdotes tantopere contendis? inſimos ad pileũ uocans, et uolens Mopſo Niſam dare? niſi ut Datan et Abirõ in eccleſia agas? Nam in ſynagoga eo quondam errore contra Moyſen et Aaron ipſi dementabant. Sufficiat uobis, inquiunt, ꝙ omnis multitudo ſanctorum eſt: et ꝙ in eis ſit dominus: cur eleuamini ſuper populum domini? Et ob id quidem ſceleris deglutiuit terra Datan: et operuit ſuper congregationẽ Abiron. Quare ergo tam inaudito ſupplicio deterreri noluiſti: ſed potius tanq̃ alter Ieroboam, de extremis populi et fece plebis ſacerdotes conſtitui uelis? Niſi quia peccator cum in profũdum uenerit, contemnit? Verum hanc inſaniam tuam Luthere, qua omnes chriſtianos æqualiter eſſe ſacerdotes aſſeris: eo minus iam demitor: quod paulo antea aquas cribro committens, facultatem audiendi confeſſiones etiam mulieribus tribueras: ſacco pertuſo theſaurum tradens: cum e ſcripturis noſſe ſatis potueras: quantum periculi et diſcriminis ſit hominẽ laicũ et ꝓphanũ ſacerdotij officiũ ſibi uendicare. Namq; Sauli quondam Iſrael regi ſacerdotij munus in ſynagoga exercere temptanti, deus tam grauiter offenſus fuit: ut non tam ſibi, q̃ cunctis eius poſteris

Num. 16.

Phi. 105.

ris diadema detraxerat regium. Deinde Ozeam regem, quia in templo adolere insensum, quod sacerdotum erat:
2.para.26. moliebatur: graui lepra percussum, et amisso sceptro, etiã uiuum ab hominibus fuisse eiectum: ac mortuum quoq; regio caruisse sepulchro: secundus Paralepomenon liber non tacuit. Quæ sane exempla Luthere, si diuina gratia te non destituisset: animum tuum ab hac hærese satis amoliri debuerat. Nã petra ferro conteritur: et tepente ac molli sanguine adamas durissimus soluitur: Tu, obsecro, quomodo nõ es utroq; durior? qui tot gestarum rerum exemplis, tot scripturarũ monitis, ad ecclesiæ obedientiam nequaquam emolliris? Nec dicas hoc loco, inclinans cor tuũ ad excusandas excusationes in peccatis: cunctos pontifices hodie et prælatos malos et iniquos esse: et ea propter illis morem neutiquam esse gerendum. Fefellit te superba mens tua Luthere: Quippe Christus mittẽs duodecim a-
Matthęi.10 postolos ad prędicandum, omnibus citra discrimen ex æquo dixit: Quicũq; non recepit uos: neq; audierit sermones uestros: exeuntes foras de domo uel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris: Amen dico uobis: tolerabilius erit terræ sodomorum et gomerreorum in die iudicij q̃ ciuitati illi. Cum ista a Christo apostolis dicerẽtur: fuit et eo tempore inter illos Iudas Scariotis: qui tametsi fur erat et loculos habens: tamen iussum est non minus illi q̃ cæteris parere: Quandoquidẽ si prelatis et magistratibus nostris, quia peccatores sunt, obtemperare non debeamus: nullus profecto mortalium erit: cui obediendũ aliquando fuerit. Quippe nos omnes peccatores sumus: quoniam

quoniã si dixerimus peccatum non habemus: nos ipsos seducimus: et ueritas in nobis non est. Cæterum, ut ad rem redeam: mirum est Luthere: quo tua procedit temeritas: qui ad muniendum errorem tuum, uidelicet cũctos christianos æqualiter esse sacerdotes, deinceps Paulum nobis opponis. 1. Corinth. 7. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum dei: ex hoc subinducere molitus, nullos batizatos sacerdotij munere usq̃ esse impares. Plane uerba ista Pauli Luthere, quemadmodum nihil est, quod tibi cõducunt: ita nec ea nobis prudenter apportas: quando prima pars prorsus nihil tibi suffragatur. Secunda autem tam graui marte aduersus te militat: ut errorem, quem male peperisti: non tam ferit, q̃ etiam iugulat. Vtrumq; ergo iam paucis uideamus. Primo Luthere tu, non ueluti dialecticus disertus, uerum ceu sophista uanus, ut es: argutiam formas tuam: ut quia sacerdotes sunt ministri Christi, ad plebem statim colligis, plebeos et sacerdotes omnino esse pares. Sed precor te: an quia Paulus ad hebreos dicit: Angeli omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter homines, qui hæriditatem capient salutis: Ideo homines in mundo parificabis angelis in cælo? Quod si hoc recte nõ intuleris: profecto nec dextra consecutio erit, populum æquari sacerdotibus: quia sunt ipsi ministri Christi missi ad populum. An quia dux belli, minister est regis ad gubernandam militiam missus, propterea eum militi æquabis gregario? A tota Luthere deliras meta: Itaq; prima pars prorsus nihil pro te facit. Sed te stultum et indoctũ

I. Cor. 7.

Hebr. 1.

esse dialecticum ostendit. Secunda autem pars sic contra te dimicat: ut tibi patere, ne sinat quidem effugium. Nam cum dispensator persona sit: et ea quidem media, inter dominum et familiam: sicut domino subditur: ita plane et familiæ præfertur, domino seruiens, et domesticis, quos gubernat: prȩfectus. Cum ergo, teste Paulo, quem citas: sacerdotes sunt dispensatores ministeriorum dei ad populũ: erunt haud dubie deo subditi, populo uero superiores et prȩlati: et nusquã, ut tu contẽdis: plebi ȩquales. Itaq; factum est: ut ibi Paulus tuo errori inferret exitium: ubi ab eo sperabas patrocinium. Quod uero pro tuendo errore Malachiȩ uaticinium exaggeras: Labia sacerdotis custodiunt scientiam: et legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituũ est: Id sane tibi nihil præstat adminiculi: sed duplicem errorem tuum, hoc unum confundit oraculum. Quippe si populus legem dei requiret a sacerdote, sicut rudis a docto, discipulus a magistro: quis adeo lapis est: ut ilico non uideat, sacerdotem plebe superiorem, et populum omnino, ut humiliter addiscentem, ei obsecundare debere? Deinde cum sacerdos, canẽte Malachia, sit angelus domini exercituũ: et angelus nomen quidem sit non naturæ, sed officij: qui latine uocatur nũcius siue missus: nemini, uti reor, tam lusca est acies: qui non cito conspiciat, id a uero longe abire: quod iam dixisti: uidelicet, sacerdotem non esse aliud, q̃ quempiam ex laicis, per plebem electum: et in prædicationis ministerium per eos missum: cum clamante deo per Malachiam, quem tu in testem uocas: sacerdos sit angelus domini exercituum;

hoc

Mala. 2.

Sese in sua arena Lutherus superat.

hoc est nuncius siue missus a domino exercituum: et nequaquam ab ulla authoritate popularium. Quo iam euenit: ut Malachias uates, a quo defendi frustra cõfidebas: hic bis te premat. Primum scilicet, sacerdotes et laicos (ut tu obgānis) nusquā esse æquales, sed quemadmodum doctum indocto, magistrum discipulo: ita sacerdotem prestare populo: deinde sacerdotes angelos et nuncios esse domini exercituum, non a populo, uerum a deo in ministerium predicationis missos: id quod Christus in euangelio firmat: Ecce, ego mitto ad uos prophetas sapientes et scribas: Quę Christi uerba pergens Paulus lucidius aperire, ait: Christus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios uero euangelistas, alios autem pastores et doctores, usq; ad cõsummationem sanctorũ, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, agnitionis filiorum dei in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Qui deniq; sermones apostolici, tãetsi geminam illam tuam hæresim eminus proscripserint: Nempe sacerdotes ad concionandi munus non a populo, uerum a Christo missos, nec eos populo pares, sed authoritate omnino sublimiores: Tamen nihil pene opus erat, nunc cõtra te ista afferre: cum ea, quæ ipse e Paulo et Malachia, ad erroris tui presidium, iam paulo ante protuleras: utrumq; errorem tuum abũde satis confuderat. quasi parum tibi uisum fuerit, cum te ipso infeste pugnare: nisi etiam quomodo Paulus et Malachias, hoc est nouum pariter et uetus testamentum, aduersus errores tuos for-

Matthęi. 23.

Ephe. 4.

tiſſime pugnat: nos iam palam doceres. Adeo in ſua are=na Lutherus Lutherum paſſim infeſtat. Quod ſi inter hęc omnia Luthere adhuc ſurdeſcas: nec errores tuos audire, nec ſcripturas ſacras, quæ hæreſes tuas euidentiſſime ſub=uertunt: auſcultare uolueris: profecto talis merito cenſeri debeas: quem obſorbuit profundum, puteo urgente ſu=
Pſal. 68. per te os ſuum.

LVTHERVS.

VIDE igitur, quorſum migrauit gloria eccleſiæ: re=pleta eſt omnis terra, ſacerdotibus, epiſcopis, cardi=nalibus, et clero, quorum tamen (quantum ad officium ſpectat) nullus prædicat: ſed abunde ſuo ſacramento ſe ſa tis facere putat: ſi battologiam legēdarum precum emur=muret: et miſſas celebret: atq; miſſas ſuas (quę ſumma eſt peruerſitas) ceu ſacrificium offerat: cum miſſa ſit uſus ſa=cramenti: ſed quale eſt ſacramentum: tales habet ſacerdo=tes: qui ſeipſos, ſicut galli cibelis ſacerdotes caſtrarunt: et celibatu ornarunt ſimulatiſſimo.

POVELVS.

ORdinē, ſine quo reuera nihil poterit eſſe in cælo glo=rioſum, nec in terra quicquam pulchrum, tibi Luthe=re exoſū habens, ægro atq; moleſtiſſimo fers animo: ut in
Pſal. 44. Chriſti eccleſia (quæ, uti Dauid cecinit: regina eſt circū=amicta uarietatibus) ullum ſacerdotum, pontificum, car=dinalium, aut cleri, ordinem quiſquam aliquando admit=
Oſeę. 4. tat. Sed id uelis: quod olim uates Oſeę damnauit: uideli=cet, ſicut populum, ſic eſſe debere et ſacerdotem, utrumq; utriq; parem cōſtituens: et ideo clamore ualido, et eo qui=dem

dem leonino rugis, ecclesię ordinem et gloriam nō ferens. Vide, inquis, quorsum migrauit gloria ecclesiæ: repleta est omnis terra sacerdotibus, episcopis, cardinalib⁹, et clero: quorum tamen (quantum ad officium spectat) nullus prædicat: At tu uide, rogo, quorsum iam euaserit uesania tua Luthere: profecto nō aliorsum, q̄ ut uniuersam ecclesiæ pulcherrimam faciem confundas: et omnem sacerdotum, pontificum, cardinalium, et cleri ordinem, sine quo quidem ecclesia nec candida, nec decora esse poterit: ipse prorsus extinguas. Et ut nō desit: quod in eis ęgregie culpes: offendisti in illis te fingis: quod ualde arguas. Nēpe eorum esse neminem, qui, ut deberet: concionandi officiū expleat: quia eorum inquis (quantū ad officium spectat) nullus prædicat: Quid mirum, si ista dixeris? quando nulla fuerat res aliquando tam bene instituta, nulla tam probe consummata, in qua non facile inueniat momus: quod carpat: tametsi nec quicq̄ fuerit minus uerum, q̄ id, quod modo obiectas: uidelicet, sacerdotum, aut pontificū nullum esse, qui prædicet. Nam ut de cæteris sileamus terris: nobis, qui in occiduis et postremo orbis calce Angliam colimus: sacerdotes quidem sunt et pontifices haud pauci: et ij sane diuini sermonis ad populū declamatores eximij: qui etiam, pręclaris ęditis in te libris, hęreses, quibus eniteris: tot perimere animarum myriades tam ęgregie subuerterunt: ut quemadmodum doctorum nemo sit: qui insanias non rideat tuas: ita nec simplicium quisquam, qui te non execretur et horreat: quorum in sacris literis, doctrinā ex hoc satis diuinare potuisti: quod inuictissimus

eorum

eorum rex HENRICVS iamdudum in tuos egerat errores: quos non minus ſcripturis q̃ rationibus premens, errata tua tam docte clareq; cõfuderat: ut hereſes tuas deſerere, et ad orthodoxã fidem redire, occaſionem tibi maximam præſtiterit: modo diuina gratia tibi non defuiſſet. Proinde fieri non potuit: ut tam perita et docta maieſtas, ſacerdotes et põtifices alios aberet q̃ doctiſſimos. Tu uero apud gentem, ubi impie nunc deliteſcis: quos ſacerdotes et epiſcopos aſinos habes, neſcimus: uerũ ipſi omnibus aſinis ſtolidiores, ſi te uirum iam tantis erroribus inſanum, in præceptorem delegerint. Quod uero de euangelico ſacerdote dicis: abunde ſuo ſacramento ſe ſatiſfacere putat: ſi battologiam legendarum precum emurmuret: et miſſas celebret: plane in hoc Luthere tuam in deũ pietatem et ſanctimoniam præclare oſtendis. Nam quæ, obſecro, ſunt lectiones, aut quę preces, quas ſacerdos euangelicus, iubente eccleſia, ante miſſarum celebrationem orando deo effundit? Nonne pſalmos, et eos quidem dauiticos, ad quorum lectionem cũctos dei cultores Dauid
Pſal. 99. ingenue inuitat: dicens: Venite, exultemus domino: et in pſalmis iubilemus ei? Et tamen tu pſalmodiam battologiam, hoc eſt ſtultiloquium, et ſpalmorũ lectiones precum emurmurationes impie uocans, miſſarum celebrationem homo execrãdus etiam irrides: miſſas, inquis, ſuas (quæ ſumma eſt peruerſitas) ceu ſacrificium offerat: cum miſſa ſit uſus ſacramenti. Miſſa autem quonam pacto oblatio ſit, et ſummum eccleſię ſacrificium: ſuperius Luthere, ex noui ſimul et ueteris teſtamenti ſcripturis, dilucide

ſatis copioſeq; tibi prodidimus. Et iccirco illius rei nulla denuo hic opus eſſe iteratione: cum id potetis a ſecundo libro abunde poſtulare. Sed cur nũc, quæſo, affirmas miſſam eſſe uſum ſacramenti? quando in ſecundo libro contendebas, miſſam nil aliud eſſe, niſi diuinã promiſſionem, et teſtamentũ Chriſti: hic autem, uel tui oblitus, uel tanq̃ ſtupidus, neſciens quo te uertas: aſſeris, miſſam eſſe uſum ſacramenti: cum uſus ſacramenti, quocunq; modo id ſumpſeris: longe aliud ſit, q̃ diuina promiſſio. Nam pleriq; ſacramento utuntur: quibus diuina promiſſio nihil proderit. Et iterũ ſunt nõnulli: qui ſacramento nõ utuntur: ut pueri, et aliter legittime impediti: quibus diuina promiſſio bene conducit. Itaq; dũ hoc loco affirmas, miſſam eſſe uſum ſacramenti: id profecto, quod in ſecundo libro probare tam perſtrepere certabas, uidelicet, miſſam non aliud eſſe, q̃ diuinam promiſſionem: iam palam inficiaris et renegas: adeo non tam a uero q̃ etiã a ſe ipſo falſum ſæpe diſſidet. Cæterum Luthere in his, qui euangelij ſacris initiantur: caſtitatem non ferens, caſtitatem turpiter oppugnas, Quale, inquis, eſt hoc ſacramentum: tales habet ſacerdotes: qui ſicut galli cibelis, ſacerdotes etiam ſe ipſos caſtrarunt: et celibatu ornarunt ſimulatiſſimo.

Quis, rogo, modo ad ungendos oculos collirio non eget: hic non incontanter uidet? q̃ ſis homo genio indulgens parum ſyncærus, ac uita quoq; haud quaquã purus: præſertim cum de celibatu ſacerdotum Chriſti, qui propter regnum cælorum ſe caſtrarunt: tam obſcęna loquaris: ut cũ idololatris et euiratis deæ olim cibelis ſacerdotibus eos

perfede conferas. Quo intueri protinus libeat: q̄ sis fra-
ter castus, sacerdosq; pudicus, sacerdos, inquam, non dei
cæli, uerum genij mali, non Christi, sed Priapi, non uir-
ginis deiparæ, sed Veneris male olentis et fętidę. Quippe
qui a castitate et pudicitia tantopere abhorreas: ut in his
qui Christi sacris initiantur: continentię puritatem susti-
nere, nullo pacto impurus queas: ex Stoico Epicureus, et
e christiano iam Mahumetanus effectus. Verū ut in hac
re e scripturis aliquid tecum Luthere clarius agamus (si ta-
men cum eo quicq̄ clare agi possit: qui ne uideat: semper
2. reg. 13. oculos claudit) Achimelech synagogæ olim sacerdos, nec
Dauid, nec suis, tametsi fame suprema laborantibus, pro-
positionis panes ante legittime impartiendos censuit: q̄
eos nō tam a fœminis, q̄ et a proprijs uxoribus puros mū
dosq; esse intellexerat. Dixerat enim Achimelech Dauid:
Non habeo laicos panes ad manducandum: sed tantum
panem sanctum: si mundi sint pueri, maxime a mulieri-
bus, manducent. Et tamen panes illi propositionis non
nisi triticei fuere: et ideo si panem illum dumtaxat typicū
edere quibusuis omnino nephas fuerat: nisi ijs, quos ab
omni muliebri congressu, corporis mundicies puros red-
diderat: quomodo, obsecro, sacerdotes euangelicos, qui
non tam pro se q̄ pro toto populo, uerum corpus Christi,
panem propiciationis æternę, quotidie offerunt et sumūt:
suades mulierib⁹ coinquinari, ac liberis et rei uxorię ope-
ram dare? Nonne Ozam, referentibus hebreis, ideo per-
culit quondam diuina ultio: quia pridie cū uxore rem ha-
bens, tangere ausus fuerat Archā synagogæ? Et ecce plus

q̄ Archa

q̃ Archa synagogæ hic. Quomodo ergo Luthere aliter q̃ insane consulis, eos uxores ducere: qui si absq; periculo esse uelint: semper ab uxoribus oportet abstinere? cum id citra uxoris iniuriam iuste facere profecto nequeāt: quandoquidem uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Et iccirco aut cum uxoribus iniuste agent, postulatū non reddentes debitum: aut uerū Christi corpus panem propitiationis cælestis, non minus q̃ reliqua sacramenta, quod horrendum est: polluti et coinquinati tractabunt. Verum lōge aliud a te diuersum, docuit olim Paulus christianos, prædicans in toto mundo: q̃ tu iam instruis conuenticula tua, occulte susurrans in angulo. Ipse enim consuluit: dicens: Si solutus es ab uxore: noli quęrere uxorē: Nec causam pręterijt. Quippe qui sine uxore est, inquit, solicitus est, quæ domini sunt: quomodo placeat deo: qui autem cum uxore est: solicitus est: quæ sunt mundi: quomodo placeat uxori: et diuisus est. Quod consilij genus a tuo q̃ procul distat: quiuis prudens lector cito intelligat. Verum quid de Helia Tesbite Luthere, quem fuisse agamum, haud quaq̃ latet? quid de Ioanne Baptista, cuius celibatus catholicorum fugit neminem? Et ut ad testamētum nouum ueniens, de cæteris euangelicis sacerdotibus hic taceam: quid de euangelista Ioanne, quem ob uirginitatis candorem tam charum intimumq; sibi Christus habuit: ut illi uirgini matrem uirginem in cruce commendaret? quid de Luca euangelista? quid deniq; Lutere de Paulo, doctore gentium eximio, iam dicturus es: quos omnes non tam sacerdotes q̃ agamos fuisse, celibatūq; mūde

2.reg.6.

I.Cor.7.

I.Cor.7.

tenuisse: ipse satis agnoueris: licet tu thorum detestans ce
libem, id nunq̃ comprobaueris. Nec eo minus an diuos
istos celibes forsan ausis dicere euiratos? et nõ Christi, sed
cibelis sacris initiatos? cum et Paulus uirgo ac celebs, om=
nes Christi sacris fũctos, optabat esse, sicut seipsum? imo
nõne et Christus sacerdos in æternum secũdum ordinem
I.Cor.7. Melchisedech, cuius conuersatio et uita, est nobis uiuen=
di norma: uirginalis continentię celibatum sic custodiuit,
pariter et coluit: ut ab alia nulla, q̃ a syncæra uirgine hu=
manam dignatus est assumere carnem? Cur ergo sacerdo=
tes Christum (quoad possunt) in celibatu imitantes, ip=
se eunuchatos, atq; deę cibelis sacerdotes nominas? Nisi
quod tu frater insolens, et pudicitiæ hostis, spurcitijs to=
tus impense deditus, in turpitudinis tuæ patrocinium, ge
stis cunctos tui esse simillimos: ut sine comite solus non
sordescas. An fortasse dices Christum euirasse, Ioannem
euangelistam et cibelis sacris instituisse? quia illum a car=
ne ad spiritum, a nuptijs ad celibatum, etiam inter conui=
uas, in ipsa nuptiali mensa accersiuit? Si autem modo hoc
ipse non contenderis: cur Christi flamines, qui Christum
ęmulati, suis mentibus omnia uenerea dissecuere, castra=
tos appellas, et cibelis religioni dedicatos? nisi ut id, quod
Christus semper amabat: tu frater spurcus odio haberes:
et quod Christus in suis sacerdotibus laudaret: hoc in
cunctis sacerdotibus ipse damnares; atque ita damnares:
ut nemo plane foret: qui in te Antichristum non facile
dignoscat.

Luthe=

LVTHERVS.

O Dignos pontifices, hoc uenerabili sacramento ordinis: o principes non catholicarum ecclesiarum, sed satanicarum synagogarũ, imo tenebrarum: o ignominiã ecclesiæ dei, quam ex ijs monstris contrahit: ubi episcopi, ubi sacerdotes, qui euangelium sciant: nedum prędicent? Vt quid se ergo iactant sacerdotes? cur alijs Christianis sanctiores et meliores et potentiores haberi uolũt? horas autem orare, nõ ad sacerdotes, sed ad monochos, heremitas, priuatosq; homines, et eos laicos pertinet.

POVELVS.

MAgnas, et eas uix ferendas, in pontifices et pręlatos ecclesiæ, excitas nunc tragœdias Luthere: sane non scripturis, nec rationibus ualens, sed solis clamoribus et conuitijs potens. Et icirco tonabundo ore uociferaris et clamas: O dignos pontifices, o principes satanicarum synagogarum: quasi parum tibi fuerit scribendo: nisi etiã uociferando pectoris tui furorem et indignationem proderes. Namq; hoc pacto, uti e sacris literis scimus: clamabat olim uir ille Semei aduersus regem Dauid, uoce canina et maledica: Egredere egredere uir sanguinum, et uir belial: Ecce, premunt te mala tua: qui nimirum ob id postea a Salomone merito interfectus, maledicentiã suã non impune tulit. Clamabat et quondã uoce magna et Rabsaces aduersus Hierusalem, probris et blasphemijs eam lacessens: quod illi plane non cessit inultum: quandoquidẽ ea nocte in castris, ubi maledicus et blasphemus manserat: adeo deseuit rigor diuinus: ut centũ octoginta quinq;

2.reg.16.

4.reg.19.

millia enecaret. Cum his conclamas et tu hodie Luthere: O dignos pontifices, o principes tenebrarũ, o ignominiã ecclesię. &c. haud diſparem cum Semei et Rabſace aliquã=do accepturus mercedem: Vbi, inquis, ſunt ſacerdotes, u=bi episcopi, qui euangelium dei ſciant: nedum prædicent. Quid quæris Luthere ſacerdotes aut epiſcopos, qui præ=dicent: quos tu non uis audire? aut qui euangelium ſciãt: quod paſſim non ceſſas deprauare? Verum ſi, ubi nunc la=titas: eſſent: qui euangelium ſcirent: aut Chriſtum præ=dicarent: profecto tot hæreſibus uel renunciaſſes tuis: aut certe hodie nequaquam ſupereſſes. Cæterum in ſacerdo=tes Chriſti odio et liuore turgens, addis: Vt quid ſe iactãt ſacerdotes? aut cur aliijs chriſtianis ſanctiores, meliores, et potentiores haberi uolunt? Nõne Luthere hęc uox tua
Num. 16. olim uox fuit Datan et Abiron: qui in ſynagoga non fe=rentes ſuperiorem, aduerſus Moyſen et Aaronem latran=tes, dixerũt: Sufficiat uobis: quod omnis multitudo ſan=ctorum eſt: et quod in eis ſit dominus: cur eleuamini ſu=per populum domini? Haud ſecus hodie inclamas: Quid ſe iactãt ſacerdotes, inquis, aut cur cæteris meliores et po=
Deutro. 17. tentiores haberi uolunt? Sed nonne legiſti Luthere Deu=tronomij. 17. deum mandaſſe: Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, morte moriatur homo ille. Et tamen ſacerdotes, quos deus conſtituit reliquo populo in imperio maiores: tu uita indignus quæris: cur cæteris ha beri debeant ſuperiores: adeo nec deum, nec ſcripturas ui=des: infima ſummis, et prophana conatus ęquare ſacris. Cæterum, inquis, horas orare non ad ſacerdotes, ſed ad

monachos

monachos, heremitas, priuatosq; homines et eos laicos pertinere: Ecce, q̃ sis frater sanctus et sacerdos deo deuouotus: qui quod ipse facis: hoc alios doces: nempe nulla a Christi flaminibus, uel matutina, uel uespertina deo persoluenda officia, nullas a Christi sacerdotibus horas precarias fundendas: quia orare, inquis, ad priuatos homones et eos laicos pertinet: et ideo iam satis scio te, Petrum et Ioannem plurimum reprehendere: qui ascendebant in templum ad horam orationis nonam: quia horas orare, inquis, non ad sacerdotes, sed ad priuatos et eos laicos pertinet: q̃q̃ et in hoc etiam tecum pugnas: Nam si ad sacerdotes non spectat oras orare, cum omnes laici, ut tu contendis: sunt æqualiter sacerdotes: profecto horas orare, nec ad laicos spectabit. Itaq; quemadmodum fur furem et mendax mendacem, sic Lutherus Lutherum usq; quaq; impugnat. Sed est adhuc in hac re, quod non possum satis mirari: cur concionandi munus et prædicandi euangelij officium, sic sacerdotibus Luthere ascribis: ut precamina et orationes non illis: uerum solis priuatis et eis laicis tribuas: præsertim cum Christus suos apostolos nō tam orare, q̃ etiam indesinēter precari docebat: Oportet, inquit, semper orare, et non deficere. Quod apud Lucam ipse elegantissima uigorabat parabola. Tu uero contra asseueras, horas precarias non ad sacerdotes uerum ad priuatos et eos laicos pertinere: quasi tibi non satis fuerat cum te ipso confligere: nisi etiam cum Christo in aperto campo committeres. Quoniam oratio, si fuerit ascensus humani spiritus in deum, sicuti scriptura ait: Ascendat oratio

Actuū.3.

Lucę.18.
Christo Lutherus bellū indicit.

oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: profecto cũ ueri adoratores authore Christo adorabunt patrem in spiritu et ueritate: ad nullos unq̃ magis pertinebit orare, q̃ ad sacerdotes: qui mentem suam et spiritum pro se et populo in deum semper erigere debeant. At tu uere Luthere porcos emulatus, qui ruentes e quercu glãdes uorant: sed unde decidunt: in sublime non suspiciunt: doces sacerdotes per orationem in cælum, a quo cuncta bona ueniunt: oculos suos non leuare: unde nequaq̃ deum in spiritu adoras: qui totus genio indulgens, continentiæ uota soluere, et non solum uxores ducere sacerdotes iam doces: uerum et uirgines, Christo dicatas, ac monasticam professas uitam, a pudicitię claustris, ad mundi prostibula rapis: et ad sacrilegas nuptias etiã trahi cogis inuitas. Vah hominẽ plusq̃ carnẽ, ac omni spurco spurciorẽ, qui uirgines xp̃o dicatas Christo tollis: ut Priapo dones: Christo aufers: ut diabolo offeras. Nam cum Christus præceperit: Sint lumbi uestri præcincti, et lucernę ardentes in manibus uestris: Tu cõtra pręcipis, lumbos laxare, et de bonis operibus nihil curare: quia opera nostra, inquis, deus nihil curat. Sed cur Luthere in hac re in mentem tibi Hirtacus non uenerit? qui Ephigeniam uirginem deo dicatã nuptijs sibi enisus copulare nefandis, deo id uindicante, se proprio transfodit mucrone. At tu Hirtaco longe scelestior, multas Ephigenias, quae uirginitatem Christo uouerunt: et ut a carnis illecebris liberiores ei seruirent: in monasterijs se sepelierunt: ad mundi luxũ, quem abdicarunt: iam denuo reuocas: atq; ad alienos, et eos fedissimos thoros,

Lucę. 12.

ros, non sine Christi summa iniuria, inuitas compellis: ex sacris prophanas, et ex uirginibus meretices, et plusquam adulteras faciens. Nec ideo tibi blandiaris hoc facinus leue esse: quia non statim ut Hirtacum percusserit te dominus: quia clementer pœnitentiam et conuersionem tuam expectans, tarditatem uindictę cõpensabit grauitate pœnæ tuæ: qui homines uota uiolare et pacta deo non soluere doces. Et cum omnino iniustũ fuerit etiam mortalem mortali promissum non seruare: tu, quod iniustissimum est: christianos instruis, policita Christo uota non solum non implere, uerum contemnere. Sed nonne legisti Deutronomio. 17. id quod diuinũ celebrauit edictum? Si quis uouerit: sanctũ erit: nec mutari poterit: quia omne, quod consecratum fuerit domino, siue homo fuerit, siue animal, siue ager non uenum detur: neq; redimi poterit: sed quicquid fuerit semel consecratum: sanctum sanctorũ erit domino. Tu uero nihil setius sacrata prophanans, uota non citra immensam dei contnmeliam, non tam mutare, q̃ aspernari hortaris. Nonne uirgo filia, et ea unica Iepte, patris constricta uoto q̃q̃ improuido, tamen sic filiam ligabat, ut perpetuam seruare uirginitatem teneretur: cũ qua nec dispensauit aliquando synagoga. Vouit quondam et Anna uxor Helcane: dicens: Domine exercituum si respiciens uideris afflictionem famulæ tuæ, dederisq; seruæ tuæ sexum uirilem: dabo eum domino omnibus diebus uitæ eius: et nouacula nõ ascendet super caput eius. Quo noscas Annã deo Samuelem uoto dedicasse: et quod mirum est: eo tunc nihil annuente, et tamen id Samuel po-

Deutro. 17.

ſtea tam ſyncere cuſtodiuit: ut parentis contaminare uotum nephas omnino duxerit: adeo maternum uotum filium, et paternum filiam, obligare olim potuerant. Non eſt ergo, quo neges: q̃ arcte proprium uotum deuinciat: cum alienum tam obnoxie conſtringat. Nam quid hic dicā de Anania et Saphira? qui de predijs, quæ uoto Chriſto dedicabant: non niſi exiguū quiddam ſeruare ſibi conabantur: an non ob id in conſpectu et facie totius eccleſiæ, eos diuinæ ultionis ira ſubito extinxit? quorum ſupplicio nihil deterreris. Demiror igitur hanc cęcitatem tuā plusq̃ iudęicam: qui cum legeris diuino iuſſum imperio: Vouete et reddite. Tu contra nō uouere doces: et ſi quicq̃ uoueatur, ne reddatur, iubes: nihil cogitās, quod per Salomonem minatur deus: Ruina eſt homini deuotare ſanctos: et poſt uota retractare. Non ergo deum in ſpiritu adoras: qui tot et tanta aduerſus ſpiritum dogmatizas. Nec certe deum adoras in ueritate: quippe non in ueritate doctrinæ catholicæ, quam erroribus nuſq̃ non corrūpis: nec in ueritate uitæ euangelicæ, quam ſordidiſſimis moribus non tam ipſe conſpurcas: q̃ alios cōſpurcare doces. nec deniq; in ueritate iuſtitię, cum uota deo promiſſa non ſoluere iniuſtiſſime imperitas: proinde mihi nō magnopere ſtupendum fuerit: ſi ad ſacerdotum munus orare non pertinere dixeris: quando nec in ſpiritu nec in ueritate ipſe deum adoras.

Actuū. 5.

Psal. 75.

Prouer. 20.

LVTHERVS.

SAcerdotis munus eſt prædicare: quod niſi fecerit: ſic eſt ſacerdos: ſicut homo pictus eſt homo: An epiſcopos

pos faciat, ordinare tales sacerdotes battalogos missales et horales? an ecclesias et campanas consecrare? an pueros confirmare? nōne hæc uel diaconus uel laicus quilibet faceret, ministerium uerbi facit sacerdotem et episcopum. Non enim horas legere est aliquid: Deinde missam offerre, est sacramentum percipere. Præterea et nostra superstitio laicis nunc magnum reatum inicit: si uel calicem nudum, aut corporale tetigerit. Vide per deum, sacrosanctā huius ordinis sanctitatem, quantum profecerit: futurum spero: ut nec altare liceat attingere laicis: nisi dum nummos obtulerint: ego pene dirumpor: cogitans has impiissimas hominum temeratissimorum tyrannides.

POVELVS.

QVamq̄ Melchisedech concionandi munus obijsse, scriptura sacra nusq̄ commemorat: tamen illum sacerdotem dei altissimi, liber geneseos appellat: non a prędicandi officio: quod, quantum e sacris litteres scire possumus: nunq̄ exercuerit: uerum a munere offerendi deo pro uictoria Abrahę panem et uinum, est sacerdos dei altissimi nominatus: et iccirco sacerdos euangelicus, cum sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, nō a ministerio prædicandi: sed ab officio immolandi deo, pro se ipso et tota ecclesia corpus et sanguinem Christi in specie panis et uini, more Melchisedech est nuncupatus sacerdos. Ad huius autem catholicæ ueritatis munimen nihil est: quod non addunt uerba Pauli ad hebreos. Omnis pontifex, inquit, ex hominibus assumptus, pro hominibus cōstituitur in his, quæ sunt ad deum: ut offerat dona et sa-

Genes. 14.

crificia pro peccatis: ubi de ministerio prędicandi populo nihil comminiscens, ob officium dumtaxat offerendi dona et sacrificia pro peccatis, pontificem institui, apostolus clare docet: cuius sensũ si quęras melius sapere: secundum librum consulas: a quo si discipuli formam susceperis: id luculẽtius possis ibi addicere. Proinde q̃ sit a scripturæ ueritate peregrinũ, ꝙ sacerdos nõ prædicans nõ magis sit sacerdos, q̃ hõ pictus est hõ: iam spero Luthere satis intelligis: cum non ob concionandi sed offetendi officium, sacerdotem institui, ut iam audisti: scriptura aperte admoneat. Cæterum in hoc negocio, unum est, quod te intelligere uolo: sacerdotis et pontificis seu pręlati, nõ per omnia eandem rationem esse: uerum inter simplicem sacerdotem et prælatum id discriminis constare, ut ad illũ dona et sacrificia pro peccatis offerre spectet: ad istum autem non tam sacrificia ut sacerdotem offerre: sed etiã tanq̃ pręlatum sanam populo impartiri doctrinam, omnino pertineat. Quod te plurimum fefellit Luthere, dum utrũq; tanq̃ in chaos unum confusum congeris: et neutrũ ab altero secernis: id quod a Christo addiscere potuisti: qui in euangelio alterum ab altero disiungens, quid pręlatis ex officio conueniat: edocet ipse pulcherrime: inquiens:
Lucę.22. Quis putas est fidelis seruus et prudens: quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram? Quæ Christi uerba non tam semel et iterũ, q̃ etiam ter te pessundant obruuntq;. Nempe ptimo in ecclesia Christi non omnes authoritate esse pares, ut tu contendis: sed prælatos omnino super familiam Christi

esse

esse constitutos. Deinde sacerdotes Christi, nō esse in gubernaculum populi per plebem communem electos, ut tu impie deblateras: sed constituit eos dominus super familiam suā. Postremo simplicem sacerdotē a prælato in ho distare: quod ad illum spectet sacrificium offerre, ad isti autem tanq̄ peculiare quiddam, ministrare populo in tēpore tritici mensuram uerbi dei. Atq; eos euāgelico lacte ita potare, ut quæ ab illis credi, quæ sperari, quæ amari, quæ agi, quæ uitari debeant: copiosa prædicationis mensura tribuant. Hanc enim eorum specialem esse functionē oportet: si uel Christo morem gerere, uel prælationis nomen, quod prætendunt: sibi iuste uelint uendicare. Quod uero post insignes in pontifices contumelias, quibus multo magis uales q̄ rationibus: dicis, ministerium uerbi sacerdotem facere. hoc a ueritate q̄ sit procul: iam pridem, uti spero, e scripturis satis didicisti. Sed horas, inquis, dicere nihil est: Deinde missam offerre est sacramentum percipere: Orthodoxe scilicet. Et ideo hic, quęso te Luthere: an horas dicere aliud quicquam esse possit, q̄ psalmos, et eosdem dauiticos precari? Ad quos, in laudem suam, mortales hortatur deus per psalmographum: Psallite domino in uoce psalmi. Et tamen quod ad honorem suum homines facere admonuit deus: hoc tu nihil esse dicis: At missam offerre, ais, sacramentum percipere est. Id quidem ab uniuersa orthodoxia longe alienum esse, tametsi secundus liber tam copiose aperuerit: ut, nisi uelim hic actum agere: nō possum iam denuo repetere: Tamen nec in hoc tibi ipsi quadras. Qui superius in secundo libro, strepen-

tibus armis cum catholicis dimicabas, missam non aliud esse, nisi diuinam promissionem et testamentum Christi: nunc autem uersis uelis, asseris, missam esse sacramēti perceptionem: cum diuina promissio longe alia res sit, q̄ perceptio sacramenti. Quippe pueris et uiris infirmis stomachis, et alijs, quos ab eucharistia abstinere ipsa necessitas cogit: diuina promissio summo est usui: quibus non cōuenit perceptio sacramenti. Rursus et non desunt: qui sacramentum percipiunt, ueluti peccato et uitijs onusti, qui cum diuina promissione prorsus commutationem habēt nullam. Proinde dum in rebus et ijsdem maximis tanq̄ polipus quispiam hinc inde tot modis uarias: nemo nō possit non facile intelligere, in his, quæ scribis: q̄ pessime erras. Præterea superstitio nostra, inquis, laicis nunc magnum reatum inicit: si calicem nudum aut corporale tetigerint. Nempe Luthere ut de sacris falsorum numinum, et eorum uasis, quæ prophanis tangi etiam apud idololatras nephas fuerat: hic taceam? Non poteris ipse ignorare, nisi forte tibi molestum fuerit: ea, quæ uera sunt: scire: Num. 4. Numer. 4. scriptum esse. Cum inuoluerint Aaron et filij eius sanctuarium et omnia uasa eius, in commotione castrorum: tunc intrabunt filij Caath: ut portent inuoluta: et non tangent uasa sanctuarij: ne moriantur. Vasa ergo synagogæ, in quibus olim offerebantur libamina et sanguis brutorum: interdixit deus: ne a laicis tangerentur: etiam tangentibus minitata morte: et tamen tu iam uniuersæ ecclesiæ succenses indignarisq;, quia calicem, in quo libatur sanguis Christi: et corporale, in quo corpus reponitur

nitur ſaluatoris mundi: ipſa uetuit a laicis aliquando tangi: pluris faciens uaſa ſynagogæ, in quibus offerebatur quondam ſanguis pecudis, q̃ calicem eccleſię, in quo libatur ſanguis noſtri ſaluatoris: et ne ſit hoc tibi puſillum, etiam irridendo, in quo plurimum potes: ilico adicis: Futurum ſpero, inquis, ut ne altare liceat contingere laicis, niſi dum nummos obtulerint. Siccine Luthere liceat chriſtiano homini, in tantis rebus Chriſtum et eccleſiam cachinnis et ſanniis iactare? Dominus autē irridebit te: quoniam proſpicit, ꝙ uenient dies tui. An irriſorum heliſei, quos urſi uorarunt: iam memor non es? Si enim pueris, et eis tenellis, quibus parcendum uideretur: non ni i leuiuſculo quidem conuitio heliſeum illudentibus, non ignouit deus: ſed deuorandos urſorum molis tradidit: tibi ueteratori, qui Chriſtum ecеccleſiam tam turpiter ludibrio habes: deus uiciſſitudinem non reddet? Sed dirumpor, inquis, cogitans impijſſimas hominum temeratiſſimorū tyrannides. Nec cœpit me nunc Luthere ulla admiratio: ſi dirumperis. Nam Iudas olim Scariotis, quia ſpectabat, Mariam Magdalene precioſiſſimum unguentum effudiſſe ſuper caput Ieſu: turgens et indignans dixit: Ad quid perditio hæc? Poterit enim uenumdari multo, et dari pauperibus. Nec hoc dicebat: quia pertinebat ad eum de egenis: ſed quia fur erat, et loculos habēs. At tu Luthere hodie Chriſti honorem et eccleſiæ cernens, ſed eum nullo pacto ferens, ſummum pontificem, epiſcopos, et prælatos omnes temeratiſſimos tyrannos uocas: nec iſta ex charitate dicis: utpote qui errata, ſi qua ſint: reformari uelis:

Pſal. 36.

4. reg. 2.

Ioan. 18.

ſed

ſed quia gloria et honore Chriſtum et eccleſiam ſpoliare cupis: et ideo quum Iudam ſequeris: mirum nõ eſt: ſi intima effundens etiam cum Iuda dirumperis.

LVTHERVS.

ESto certus et ſeſe agnoſcat: quicumq́ chriſtianum ſe eſſe cognouerit, omnes nos æqualiter eſſe ſacerdotes, hoc eſt eandem in uerbo et ſacramento quocumq́ habere poteſtatem: uerum non licere quenquam hac eadem uti, niſi communitatis cõcenſu, aut uocatione maioris. Quod enim omnium eſt communiter: nullus poteſt ſingulariter ſibi arrogare, donec uocetur, ac per hoc ordinis ſacramentum ſi quicq̃ eſt, aliud non eſſe, q̃ ritum quendam uocandi alicuius in miniſterium eccleſiaſticum.

POVELVS.

NVlla profecto unq̃ gens tam agreſtis, nulla natio aliquando tam fera fuit: quę numina ſua tam parum religioſe coluit: ut inter ſacerdotes et ꝓphanos, ut tu Luthere iam certas: nihil intereſſe cõtenderet. Nam Caldeis ſacerdotes fuere: quos a ſapientiæ et poteſtatis magnitudine magos appellabant: quorum gubernaculo et conſilijs, omnia in populo regebantur. Habebant et Galli ſacerdotes, quos druides uócabant: quibus ſicut humiliter obſequi, præceptum erat: ita non parere capitale fuit.

Nec Bragmannis quidem, ſui ſacerdotes deſuere: qui gymnaſophiſtarum nomenclaturam habebant: ſine quorum ſapientia et authoritate nulla prorſus grandia populus agebat. Et ut de ſacerdotibus ægyptiorum, quorum liber Geneſeos meminit, hic taceam. Fuere et apud Romanos

manos, quorum imperium per orbem extitit latissimum: uaria sacerdotum genera, flamines, archiflamines, diales, martiales, quirinales, salij, pontifices minores, pontifices maximi: quorum authoritate et consilijs Romani tanto studio curaq; morem semper gerebant: ut eorum dominationem, qua late per mundum potiti fuerant: tantisper duraturam sperabant: dum sacerdotum monitis inseruientes, suorum pręsulum mandatis humiliter parerent: id quod Valerius ijs uerbis perlucide expressit. Omnia post religionem ponenda, nostra ciuitas semper duxit: etiam in quibus conspici summæ maiestatis decus uoluit. Quapropter non dubitarunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum prosperum habitura regimen existimātia, si diuinæ potentiæ bene et constanter fuissent famulata. Vnde et ea tempestate, quantum obedientię et honoris sacerdotibus et pontificibus suis Romani certatim tribuebant: uel ex hoc uno doceri satis ualemus: quod narrante Valerio addiscimus. Nam Posthumium consulem Romæ pro meritis summa imperij dignitate potitū, cum ad bella gerenda magnis copijs in Aphricam properaret: Metellus, in deorum cultu pontificio functus, ne urbem egrederetur: sub graui mulcta ꝓhibuit. Nec præsuli quidem inermi audebat imperator armatus resistere: sed interdicenti placidus acquieuit. Quod exemplum Luthere bis te cedit: et quidem cesum etiam humo premit. Primo quod aspernaris obedire summo pontifici uicario Christi: cum tantus Romanorum imperator tam obsequenter paruit idolorum præsuli: deinde q feces uulgi equas ponti- Vale.1.li.

ſici: quem Poſthumius imperator imperiali prætulit dignitati: ut anceps nemini eſſe queat, Romanos olim orbis dominos, nihil aliquando ſanctius obſeruaſſe, q̃ ſacerdotibus et pontificibus ſuis obnixe in cunctis obtemperare: id quod olim Siluestro magnus ille imperator Conſtātinus, cum tanta humilitate effecerat: ut uirum tam heroicum et illuſtrem orbis imperatorem, Romanæ ſedis pontifici ſtratoris exhibuiſſe officiū, ueteres hiſtoriæ tradant. Nec mirum quidem: nam qui paulo ante idolorum pontificibus, excelſum tribuere honorem didicerat: iam nacta catholica fide, pontifici Chriſti non maiorem uenerationem præſtare, impijſſimum omnino duxerat: et hoc ſiquidem in omnium gentium ſacerdotio, obſeruatiſſimū fuit. Nec ſane abs re: nam cū inter deum et populum, ſacerdotes mediatores exiſtant: et quidem tales, per quos a deo pro miſerijs remedia, pro aduerſis proſpera, et pro infauſtis felicia ad plebem deſcendūt. Nihil profecto unq̃ magis congruebat: q̃ ut eos ingente ueneratione et honore populi colerent: per quos, tanta a ſummis ſibi proueniſſe beneficia agnouerint. Et hæc ratio atq; ea quoq; iuſtiſſima fuit: cur non tam Romani, q̃ etiam omniū linguarum natiões, ſuis pontificibus ſemper q̃ maxime obſequibiles fuere: nec eos unq̃, ut tu Luthere nūc agis: prophanis comparabant: uerum ſic in precio habebant: ut quemadmodū populo, ita et imperiali faſtigio illos anteponebant. Omitto in hoc loco Iadum memorare, quondam in ſynagoga hebreorum pontificem: qui, ſi annalibus fidem habemus: pactę pacis ſacramentum Alexandro

dro fregit: in quem tametsi tantus imperator, merito uehementer exarsit: tamen ubi illum pontificio cultu ornatũ cõspexisset: mox sedato furore ab equo desilijt: et procumbens humo adorauit. Non Iadũ (qui iam apud Alexandrum uiolati federis, et apud deum periurij reus fuit) honorans, sed in pontifice fidifrago et iniquo, qui dei uices gerebat: deum religiose ueneratus. In quo nimirum Luthere, aperte hic instrui ualeas: quonam pacto pontificibus tuis, etiam iniquis, obsequiose te ipsum incurues: et nequaq̃ eos, ut facis: cum infimis conferas. Possum et alias id genus Luthere gentium historias pene innumeras, hic aduersus te cõgerere: quas intactas prætereo: ne forte in hac re, me quis morologum uocet. Verum rationis et sententiæ meę hæc summa est: ꝙ cum omnium etiã idola colentium, cõmunis semper sententia fuit, deos nullis unq̃ magis extitisse propitios, q̃ ijs, qui sacerdotes suos in precio et honore haberent. Tu tamen Luthere uilissimis quibusq; culistis, Christi sacerdotes facis esse consortes: nec eos cloacarum emunctoribus, uelis esse superiores: sed laicos quosq; turpissimos eandem in uerbo et sacramento quocumq;, cum Christi sacerdotibus habere potestatem cõtendis: tam impie de Christi sacris sentis: quod hactenus de suis, nullus idolatrantium unq̃ fecit. Cęterũ quid de sacerdotibus, uel legis naturæ, uel moysacę nunc dicã? Nõne in lege naturæ referente scriptura, is qui in tribu sua natu maximus erat, duplicem in hęreditate paterna portionem iure habebat: cæteris quidem in tribu sua ita præfectus: ut pro illis sacrificando deum placaret: et

ipsi eum rursus tanq̃ inter deum et eos mediatorem sedulo uenerarentur et colerent? De sacerdotibus autem moysaicę legis, quid iam opus est sermonis quicq̃ facere? Quando non ignoras Luthere, hebreorum populum ad parendum suis sacerdotibus, tã districto obedientiæ ligari uinculo, ut Detronomij. 17. iuberet deus: Quicumq; superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morte moriatur homo ille. Et q̃q̃ non tam lex naturæ et moysaica, q̃ etiam ius gentium aperte satis commonstrant, populum nõ solum suis sacerdotibus potestate inferiorem, sed etiam illis obedientiam et humilitatem debere. Tu non eo minus, contra leges diuinas simul et humanas, stulte et frustra pugnans, asseris omnes citra delectum eandem in uerbo et sacramento quocumq;, cũ sacerdotibus potestatem habere. Vnde et conatus coruum dealbare addis. Sed non licere quenquam hac eadem potestate uti, nisi consensu cõmunitatis aut uocatiõe maioris. Quod enim omnium est cõmuniter, inquis, nullus potest sibi singulariter arrogare: donec uocetur: ut palã iam sit, hoc te solum moliri sacerdotium ecclesię (uti vvidefistissimus es) suadere, non esse iuris diuini, sed humani, et merum ac solum ministerium in rebus sacris, uel a maiore in uulgo, uel a communi populo sacerdotibus impositũ. Itaq; cum apostolus mandat: Nemo sumat sibi honorẽ: nisi qui uocatur a deo tanq̃ Aaron. hoc tu damnas: contra iubens, ne quis sumat sibi honorem, nisi uocetur ab homine, aut saltem a cõmuni uulgo, sicut Datan et Abirõ. Quãobrem in ipso huius operis initio, haud temere id mihi faciundum in primis putaui: ut

Deutro, 17.

summũ

summũ sacerdotium in ecclesia Christi, iuris omnino esse diuini: non tam apostolica q̃ etiam euangelica authoritate, euidentissime probatum relinquerem: quatenus eo semel clare comprobato, omne sacerdotium euãgelicũ prorsus iuris esse diuini, christianorũ fugeret neminẽ. Namq; ea, que in libro.1.digessimus: quemadmodũ sacerdotium ecclesie summũ, ita et quoduis aliud ecclesię sacerdotiũ diuino iure exortum, dilucide monstrant: tamen in tãta re, ut nihil in ancipite hęreat: arbitratus sum conducibile admodum, si etiam hoc loco, euangelicũ sacerdotium a lege promanasse diuina, e scripturis alijs iam paucis aperiam: q̃q̃ id primus liber copiose satis pręstiterit. Sacramentum enim ordinis unum sacramentũ esse, sicut catholicorũ nemini nõ constat: ita septem in se comprehendere ordines, disertorũ nullus est: qui ambigit: quorum tres maiores, quatuor uero nuncupantur minores. Quos omnes Christus non solũ instituit: sed etiam eorũ officia in se suscepit. Et ut a minoribus auspicemur ordinibus (de maioribus autem alias abunde diximus) Porro hostiarius in synagoga ille uocabatur, qui contaminatos a templo eliminans, hominum dumtaxat mundorum admittebat ingressum: Hoc officium tametsi omnium plane fuerat infimum: illud tamẽ exercere, nõ dedignatus est Christus, ementes et uendentes de templo eijciens, et nummulariorum mensas subuertens. Deinde lectoris quidem nomen ille gessit: qui in synagoga lectionem pronunciare habebat. Huius autem ordinis functionẽ, Christũ exercuisse quis ambigit? Quando in synagoga librũ Esaię in medio seniorũ

perlegerit? Ac tertius quoq; exorcista dicebatur, latine adiurator appellatus, qui per exorcismos dæmones a corporibus fugabat obsessis. Hunc ordinem tametsi quidam opinati fuerint: initium a Salomone sumpsisse, qui per orationes quasdam et sacrata uerba specialem exorcizandi artem et modum inuenit: tamē deo sic disponente, hūc ordinem in synagoga natum fuisse, doctiores omnes affirmant. Huius autem ordinis munus Christum sæpissime obijsse euangelia docent: quando curatis arrepticijs, nulla fuere tam seua dæmoniorum genera, quæ suo uerbo nō facile fugabat: nunc imperando, ut se deum uerum probaret: nunc orando, ut uerum se hominem ostenderet. Postremo accolitus uocatus, latine cereferarius, in synagoga dictus est ille: qui ad offerendas uictimas et libamina luminaria et cereos accendebat. Hunc ordinem non contempsit Christus: qui dixit: Ego sum lux mundi. Omnes quidem hi ordines synagogæ minores, quos Christus approbauit, eorum officia in se suscipiens, licet fuerant iuris diuini: tamē non nisi umbræ quædam fuerunt, et illorum ordinum typi: qui postea a Christo instituendi in ecclesia forent: quia omnia in figura accidebant illis. Proinde si ordines minores synagogæ iuris fuerint prorsus diuini: quomodo precor, non multo magis ordines minores ecclesiæ Christi erunt legis non humanę, uerum omnino diuinę: alioqui res typo cederet: figura figurato dignior foret: et umbra sole præluceret: quandoquidem ordo a deo institutus, longe illustrior atq; eximior censeri debeat: q̄ quiuis ordo ab homine uel aliunde exortus. Quamobrē

si quatuor ordines minores eccl'ię sint de iure diuino, quē= admodum typi et umbrę eorum fuere a deo instituti: pro= fecto consecutio irrefragabilis erit, tres ordines maiores etiam iuris diuini esse: quo iam uel exoculatum nō lateat: q̄ sit falsum, quod infers: uidelicet, sacerdotium nō aliud esse, q̄ ritum humanum eligendi alicuius in ministerium ecclesiasticum: cum non ab homine sed a deo sacerdotium ecclesiæ fuisse profectum, scriptura ipsa edocuerit.

LVTHERVS.

SAcerdotium proprie est nisi ministerium uerbi, uerbi inquam non legis, sed euangelij: diaconiam uero esse ministerium non legendi uel euangelij uel epistolę, ut ho= die usus habet: sed opes ecclesiæ distribuēdi pauperibus, ut sacerdotes leuentur onere rerum temporalium: ut ora= tioni et uerbo liberius instent. Hoc enim consilio scimus, Actuum quinto, diaconos institutos: prorsus non uideo qua ratione. Rursus nequeat laicus fieri semel factus sa= cerdos.

POVELVS.

NVgacitatem tuam Luthere, qui unā ac eandem quo= q; rem, alijs ac alijs uerbis toties nobis inculcas: su= pra q̄ expleri uerbis possit: admiror: q̄q̄ in his, quæ bla= teras: nec tibi ipsi consentis. Nam si ad sacerdotes perti= neat ius prædicandi euangelium, ad diaconos autem mi= nime: Quin nec ius quidem uel legendi euangelium, ut tu ipse hic ais: quis tam parum oculatus est: qui nou fa= cile conspiciat: q̄ falsum sit: quod tam tumultuaria dispu= tatione iampridem persuadere sudabas: uidelicet, omnes

ęqualiter

ęqualiter esse sacerdotes, et eandem in uerbo et sacramento quocumq; habere potestatem: quando iam te authore, nec ministerium uerbi, nec potestas uel legendi euangelium ad diaconos spectet: quod prioribus uerbis tuis q̃ maxime pugnat: tam belle nosti cum te ipso digladiari, litargiam non minorem perpessus q̃ lupinam: qui in fame mandens, si semel retrospectet: mox ad aliud quærendũ graditur: nihil prioris cibi memor: haud secus tu. Iampridem enim pugnabas, omnes christianos eandem habere potestatem in uerbo et sacramento quocũq;: nunc autem negas, uel ministerium uerbi, uel legendi euangelij potestatem ad diaconos pertinere: eorũ, quæ ante dixisti, nec quicquam memorans: cum homini mendaci adeo conueniat nihil, q̃ memoria tenax. Rursus diaconia Luthere, ut tua oratio uelit: est ministerium non legendi euangelium: ut hodie usus habet: sed distribuendi opes ecclesiæ pauperibus: ut sacerdotes leuati onere temporalium, orationi et uerbo liberius instent. Vide hic, quęso, Luthere, q̃ pulchre funem reducis, dictis iampridem tuis prorsus renuncians. Nam paulo ante, grandi uerborum tonitruo, tonabas, solũ ad priuatos homines et eos laicos spectare, precamina fũdere, et nequaq̃ ad sacerdotes: nũc autẽ uerso in cõtrariũ stilo, cõtendis oportere sacerdotes rebus p̃carijs insistere: quia ob id, inquis, est diaconia, ministerium distribuendi opes ecclesiæ: ut sacerbotes orationi liberius uacent: quos antea non debere precationibus inseruire acriter decertabas: omnia tua inter se, bella intestina tam aperta gerunt. Q̃ etiam et facile apprehendat prudens

lector,

lector: nec ista sibi conuenire, uidelicet, diaconiam esse ministerium distribuendi opes ecclesiæ pauperibus: ut sacerdotes uacent gemino officio, uidelicet, orandi et officio prædicandi: et tamen sacerdotium non esse aliud q̃ solum ministetium uerbi prędicãdi. Nec interim cętera sibi quadrant: nam si in ecclesia Christi, uti e scripturis citas: sacerdotium sit ministerium uerbi, et euangelium prædicandi: et sub eo diaconia sit, non ut uerbum ministret: sed ueluti actus apostolorum edocet, ut opes ecclesię pauperibus distribuat: quatenus sacerdotes officio orãdi et prędicandi liberius instent: ceu actuũ quinto docetur. Quis nisi in meridie lucerna egeat, non actutum spectat, in ecclesia Christi nõ omnes esse ęquales, ut tu cõtendis: sed iã te doctore, sub sacerdotibus diaconos esse, nec in potestate uerbi cunctos esse pares, ut capite iam pręeunte astruxisti: sed potestatem prædicandi uerbi, te nũc assertore, ad sacerdotes et non ad diaconos pertinere, tam infeste ubiq; cum te ipso committis. Itaq; nunc tandem eo deuentum est: ut nemo plus premat Martinum q̃ Martinus, nemo hostilior Luthero q̃ ipse Lutherus. Quamobrem pręstabit Luthere uel tandem quiescere, q̃ contra flumen et uentum incassum niti, et tuis passim uerbis ubilibet pessundari et premi: quoniã meditatur profecto Christus conuecsionem tuam: qui labijs tuis toties et tot uijs te percutit. Sed non uideo, inquis, qua ratione nequeat laicus fieri, semel factus sacerdos. En Luthere iam homo euasisti, adeo non uidens et cæcus: ut in fide Christi et ecclesię hodie nihil uideas: Quia turbatus est in furore oculus tuus.

Actuũ. 5.

Psal. 6.

et ideo e ſacrario ad ſtabulum cõmigrans, ex ſacerdotibus prophanos, ex prælatis agaſones, et ex epiſcopis bubulcos facis: ipſe ſubulco ſordidior, et omni liberide cętior: quia non uideo, inquis, qua ratione rurſus nequeat laicus fieri, ſemel factus ſacerdos. Sed an forte uides Luthere, quod tu iam factus hæreticus, poſſis etiam et non chriſtianus fieri: ut rurſus baptizatione egeas? ſi hoc non uideris, primũ ergo rationem cognoſce, cur ſemel factus chriſtianus, nequeas ipſe denuo non chriſtianus conſtitui: licet hæreticus et renegator fidei bene eſſe quiueris, et ſimul cauſam inuenies, ut cæcus tandem uideas: cur quiſpiam ſemel factus ſacerdos, non poterit denuo laicus fieri: de quo ſtatim poſtea acrior erit in te pugna. Neq; enim ad premenda nugamenta tua Luthere egemus Samſone aliquo: cum omnia tua tam ſint imbecilla et imfirma: ut Zacheus quiuis ea facile conculcet: q̃ q̃ abſq; nobis etiam te ipſum ſatis peſſundas.

LVTHERVS.

COmmentum illud characteris indelebilis, iam olim irriſum eſt: concedo, ut characterem hunc papa imprimat, ignorante Chriſto, ſitq; hoc ipſo ſacerdos conſecratus, non tam Chriſti q̃ papæ perpetuus ſeruus et captiuus, ſicut eſt dies hæc. Cæterum, ni fallar, ſi ruat hoc ſacramentum et commentum aliquando, uix ſubſiſtet ipſe papatus, cum omnibus characteribus ſuis: redibitq; ad nos lęta libertas, qua nos omnes æquales eſſe quocumq; iure intelligamus: de quo plura robuſtius, ubi iſta papiſtis amicis meis diſplicere ſenſero.

Poue-

POVELVS.

STratagemata tua Luthere atq; triumphos, tanq̄ miles gloriosus et Traso quispiam, hodie magnifice crepās, iactitas te multa, non scripturis aut rationibus, uerum ludibrio et illusionibus, aduersus characteris indelibilitatē fortiter gessisse: quoniam cōmentum illud, inquis, characteris indelibilis iam olim irrisum est: nec hoc satis tibi uisum fuit, indelibilem sacramentorum illudere characterē, nisi etiam et multa uerba, ac ea quidem grauissima, in Romanam ecclesiam hic fulminares: tibi patrocinante vviclefo, cuius es præsidio ferox, tametsi in lunam latrasse nec cani profuerit: et tamen miseret me profecto tui, adeo dementer in Romanam ecclesiam debacchantis: qui ut q̄ uehementissime illi displiceas: quicquid illa affirmat: tu negas: quod illa probat, tu dānas: quod illa amat, tu odis: deniq; quicquid boni illa uelit: tu nolis: re alia profecto nulla, q̄ liuore et odio in eam concitatus: tam sedulo omnia aduersus eā gladiatorio animo agis. Vnde et cū Boos inter primores et principes synagogę eximius, honorauerit quondam Ruth mulierem et eandem Moabitidem: ac Salmon quoq; princeps in tribu Iuda, Raab mulierem olim gentilem: tu tamen Luthere frater mēdicus, et apostata cum sis, Romanam dedignaris uenerari ecclesiam: cum nihil sit: quod non Christo et illi debeas: et tamē pro beniuolentia conuitium, pro beneficijs contumeliam, pro amore odium, pro humilitate superbiam, pro subiectione cōtumatiam, homo omnium ingratissimus nunc reddere non erubescis: tam bene de matre tua filius degener mere- Ruth.2.

PP. ris.

ris. Nec ista continuo dixerim: quod piacula, si quæ talia sint: quæ Romanæ Curiæ obiectas: defendere iã moliar: Cum nihil magis optem, q̃ ut sedes Petri, quam toti christiano orbi in exemplar oportet esse expositam: ab omni id genus labe prorsus munda sit et syncera. Sed quod cunctos christianos admonitos uelim, eorum non conuenire professioni, paternam sedem probris maculare, aut maledictis eam incessere. Nec certe Romanę ecclesię, christiani orbis magistrę, bene congruere, ut fidelibus populis se aliam prebeat, q̃ ueluti magistram discipulis, et matrem filijs: quæ ab omni auaricia adeo sit alieua, ut non pecuniarum, sed animarũ cupida, id dicat, quod scriptum est. Da
Genes.14. mihi animas: cætera tolle tibi. Quando nec cogitari profecto aliud quicq̃ poterit Romana ecclesia dignius, q̃ sese in rebus sic gerere, ut non terreni æris, sed humanæ salutis, non propriæ, uerum Christi gloriæ solum studiosa et appetens esse uideatur, et talem se exhibere, ut quæ cæteris longe præstat dignitatis et honoris apice, contendat et pręstare euangelica doctrina, et omni morum sanctitate. Ac eo demum pacto nusq̃ non possit fieri: ut obturatis leonũ faucibus, omnium maledicẽtium lingua prorsus sileat. Id quod in sua epistola Petrus admonet: inquiens:
I.Pe.2. Obsecro uos fratres, conuersationem uestram inter gentes habere bonam: ut quod detrahunt de uobis tanquam de malefactoribus: ex bonis operibus uos considerantes glorificent deum: quia uoluntas dei est: ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Hoc præcepti genus, si a Petri sede uigili studio et cura

cura ſeruaretur: nihil hodie haberet Lutherus: quod contra eam hiſceret: nec quicquam hoſti oblatum foret: quo aduerſus eam uel os aperiret: quum nuſquam maledicentium ora non claudat, publica regendi æquitas, et ſyncæra illibatæ uitæ integritas. Nonne Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum uirum iuſtum et ſanctum, et cuſtodiebat eum: et eo audito, multa faciebat: et libenter eum audiebat? Itaque Ioannes ille Chriſtum unda tingens, quoniam uir fuerat in gubernando iuſtus, et in uiuendo ſanctus: facile effecit: ut aduerſus eum uel ſemel muſſitare, funeſta Herodis non auderet immanitas: ſed illum obtemperanter audiebat: et eo audito, multa faciebat. adeo non difficile eſt: ut latrantium obſtruat fauces: et omnes poſt ſe ſuauiter ducat adminiſtrationis iuſtitia, et uitæ ſanctimonia: quamq̃ et iam haud pauci ſunt, qui non alijs rebus magis inſeruiunt, q̃ ut ab alijs uere dicta oppugnent: et bene geſta, quæ negare non poſſunt: uel intentionis ſiniſtra interpretatione contaminent. Inter quos Luthere tu princeps es: qui moleſte ferens charactere indelibili quenquam in Chriſti familiam aſcribi, ſuperbia tumens, ais. Commentum illud characteris indelibilis iam olim irriſum eſt: nimirum ab illo qui tametſi ob ſuam ſtultitiam ridendus, tamen ob ſupremam inſaniam magis deplorandus: modo deplorandus ſit ipſe: qui nec numen cæleſte reformidat in cęlis: nec hominis faciem reuereatur in terris. Verum quia Lutherus id refellere non potuit, quod ignorauit: nec nos in eo quicquam ſtatuere, cuius non ſit nobis diffinitio conſummate intellecta.

Marci.6.

Propterea quid sit character primum noscamus: et deinde q̃ rationabiliter iuxta scripturas characterem indelibilem ecclesia astruxerit: etiam pariter uidere possumus. Character enim est quædam qualitas animæ, a deo illi impressa: quo familiam suam secernat ab aliena: et gregem suum a peregrino discriminet. Quod nimirū signaculum tametsi contigerit culpis uitijsq; contaminari, ac pessimis quibusq; flagitijs pollui: nunq̃ tamen ita abstergi, aut ab anima eradi possit: ut impressi characteris signaculum, Christi familiam ab infidelium familijs in die iudicij non longe distinguat. Atq; id ipsum est: quod Paulus ad Ephesios. 4. ait. Nolite contristare spiritum sanctum dei: in quo signati estis in die redemptionis: hoc est in die iudicij. Quæ uerba Pauli non in alium, q̃ in hunc nostrum sensum ad statuendum characterem indelibilem, exposuit Hieronymus eo in loco, ut cito illic uidere possis: modo quicq̃ ueri spectare uelis: qua etiā Hieronymi authoritate iādudū pro characteris indelibilitate tuēda illustrissimus Anglorū rex fortissime te perculit: perculsūq; strauit: qua de causa illam hic minime cito: sed nobis ad te reuincendum: ut cum catholica ecclesia characterem indelibilem admittas: abunde sufficiet Paulus ad Ephesios. 1. inquiens: Credentes signati estis spiritu promissionis sancto, in redemptionem acquisitionis. Si enim credentes signati estis in redemptionem acquisitionis: hoc est, in redemptionem culpę, et acquisitionem gratię: quid, obsecro, signari in baptismo signaculo in redemptionem culpę, et acquisitionē gratiæ christiano homini profuerit, nisi in die iudicij

Ephe. 4.

Ephe. 1.

iudicij in redemptionem omnis miseriæ, quę uerissima est redemptio: et in acquisitionem æternæ gloriæ, signaculum suum christianis indelibiliter ferat? Nēpe prorsus nihil. Vt ergo christiano homini signaculum, quod animæ a deo in baptismo impressum fuerat: et ecclesia characterem uocat: prodesse sibi possit in die iudicij, ad redēptionem omnis miseriæ, et acquisitionem glorię æternæ, necessum omnino fuerat: ut christianę animæ indelibiliter hæreret: ut uel eo signaculo, hoc est charactere, non solū cuius fuerit familiæ: sed etiam quam redemtionem acquisitionis sibi iuste possit uendicare: si illud integrum et immaculatum seruauerit: totus orbis corā agnosceret. Atq; id ipsum est, quod Paulus iam ait: Credentes signati estis in remptionem acquisitionis. Quo etiam modo hæc uerba, uidelicet signati estis, et nō alio, ad Ephesios. 4. interpretatus est diuus Hieronymus, characterem indelibilem affirmans in baptismo conferri. Vnde et remuneratio iustorum in die iudicij, haud iniuria ab apostolo redemptio uocatur: quandoquidem ea luce redimetur iustus ab exilio ad patriam, a pœna ad gloriam, a miseria ad felicitatem. Et ideo Christus de iudicij die discipulis loquens ait. Respicite, et leuate capita uestra, quia appropinquat redemptio uestra: Nō de culpa ad gratiam, cum dies illa retributionis non remissionis erit: sed de exilio ad patriam, de miseria ad gloriam. Deniq; uocatur premiatio iustorum in die iudicij ab apostolo non solum redemptio, sed etiam acquisitio: nec abs re quidem, quoniam ut de anima nunc primum loquamur: acquiret tunc iustus pro fide uisionem

Ephe. 4.

Lucę. 21.

ſionem dei apertam: pro ſpe poſſeſſionem ſecuram: pro dilectione in uia, perfectam charitatem in patria. In corpore autem acquiret pro mortalitate incorruptionẽ: pro craſſitie ſubtilitatem, pro tarditate agilitatem, pro obſcu-
Matthei. 13. ritate claritatem: quia iuſti fulgebunt ſicut ſol. Et hęc eſt redemptio et acquiſitio illa, in quam credẽtes ſignari apoſtolus iam dicit: Credentes ſignati eſtis ſancto promiſſionis ſpiritu in redemptiouem acquiſitionis. Quod ſi fidei ſignaculum Luthere, quod eccleſia characterem uocat: in die iudicij, quando, uti iam audiſti: ſolum redemptio acquiſitionis erit, chriſtianę animę abeſſe et non adherere dixeris: falſum indubie facis apoſtolum: qui dicit, credentes ſignari in redemptionem acquiſitionis: cum citra ſignaculum ſignari non poſſunt. Si autem Paulo acquieueris, concedens chriſtianam animam in die iudicij fidei geſtare ſignaculum: cum ſignaculum illud, aliud quippiam non ſit, q̃ character et qualitas illa animę, a deo impreſſa: qua Chriſti grex ſeponatur ab alieno. Profecto characterem admittis, et eundem quidem indelibilem. Itaq; nunc ad eas arctaris anguſtias: ut uel Paulum deneges, uel certe cum eccleſia catholica ſacramentorum characterem indelibilem concedas. Nam tametſi euchariſtia, pœnitentia, matrimonium, et ſuprema ęgrotantrum unctio ſacramenta exiſtant ea: quæ iterari ſæpe poſſunt: baptiſma tamen, quo credentes in Chriſti familiam ſignantur: confirmationem, quæ Chriſti militię aſcribit: et ordinem, qui Chriſti ſacris dedicat: eccleſia nunq̃ ſinit iterari: propterea quod in ijs ſacramentis, ſancto inſtruente ſpiritu, didicit

cit ecclesia indelibiliter characteris donari signaculū: quod sicut abstergi non possit: ita nec iterari conuenit. Vnde et ordinis sacramentum nō minus iterandum esse, q̄ baptismatis, haud obscure docet Gregorius. Quod dicitis, inquit, ut qui ordinatus est, iterum ordinetur, ridiculum est: ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non ualet iterū consecrari. Quo clare satis eluceat, ecclesiam non magis perpeti ullam ordinis q̄ baptismatis iterationem: quod certū est, non aliunde proficisci, q̄ a charactere haud quaq̄ abstergibili. Id quod etiam Augustinus affirmat: qui cum de baptismo et ordine, ad omnem in hac re excutiendum scrupulum, differeret: ijs uerbis, quæ diligenter aduertenda sunt: loquitur: Vtrumq; enim sacramentum est: et quadam consecratione utrumq; homini datur: illud cū baptizatur: istud cum consecratur: ideo non licet in ecclesia catholica utrūq; iterari. Nam si quando ex hæreticorū parte uenientes etiam præpositi, pro bono pacis correcto schismatis errore, suscepti sunt: et si uisū est opus esse: ut eadem officia gererent: quæ prius gerebant: non sunt rursus tamen ordinandi: sed sicut baptismus in eis, ita māsit ordinatio integra: quia in præcisione erat uitium, non in sacramentis. Vnde et nō multo post subdit. Non ergo ideo non sunt sacramenta Christi et ecclesiæ: quia eis illicite utuntur non modo hæretici, sed etiam omnes impij: sed illi corrigendi sunt et puniendi: illa autem sunt agnoscenda et ueneranda. Vt iam dilucide ex his Luthere, modo scripturis sacris, et tantis uiris credas: tria tibi uel cæco

patere queant. Nempe primum id, quod tu crebro negasti, ordinem esse ecclesiæ sacramentum: deinde ordinem non, ut tu toties contendisti: fuisse a papa recenter inuentum, sed uerum Christi sacramentum et ecclesiæ. Postremo characterem indelibilem etiam nec in ordinis sacramēto, ut tu impie fingis, humanum esse figmentum: sed diuinum signaculum: et ideo sacerdotem non posse iterum fieri laicum: sicuti impia pugna tua iampridem fuit. Et ne hoc tibi pusillum sit, in sacramentis characterem illudere indelibilem, quem iam urgeris admittere: uel certe Paulū inficias ire, etiam irridendo, in quo plurimæ sunt tibi uires: grauiore cachinno addis: Concedo, inquis, ut characterē hūc papa imprimat ignorāte Christo, sitq; hoc ipso sacerdos consecratus, non tam Christi, q̄ papæ perpetuus seruus et captiuus. In his, quęso, uerbis Luthere, quid aliud tibi uis? Aut nobis quid aliud insinuas? nisi ut seruitutem Christi, cui seruire regnare est: captiuitatem perpetuam esse asseras? ut haud equidem sciam: an usq̄ locorū hominem te ipso maledicētiorem, uel irrisorem magis detestabilem, terra unquā pepererit: qui nec diuinis nec humanis parcens, utraq; multigenis cōuitijs et ludibrijs homo teterrime denigras.

LVTHERVS.

CAeterum, ni fallar, si ruat hoc sacramentum et commentum aliquando: uix subsistet ipse papatus, cum suis characteribus: redibitq; ad nos leta libertas: qua nos omnes æquales esse quocūq; iure intelligamus: et excusso tyrannis iugo sciemus: quod qui christianus est: Christū habet:

habet: qui Christum habet: omnia, quæ Christi sunt: habet, omnia potens: de quo plura et robustius, cum ista amicis meis papistis displicere sensero.

POVELVS.

CVM nihil reuera sit, quod maiore affectas ambitione Luthere, q̃ ut Christi ecclesiam forti ariete concutias: et si fieri ullo pacto possit: etiam concussam obruas: malitiæ tuæ stamen ibi primum ordiris: ut omne sacerdotiũ et sacramentum ordinis, prorsus e rebus tollas: quo semel sublato e medio, nihil penitus superesset: quo minus cum illo cætera omnia corruant. Et propterea in felle et rancore cordis tui nunc ais: Si ruat hoc sacramentum et commentum aliquando: uix subsistet ipse papatus, cum characteribus suis. Quippe tu, qui iamdudum iustissime excommunicatus, amplius in Christi Ecclesia non possis subsistere: iam simili ac pari angustia, omnes tecum laborare cupis: etiam aliorum calamitatem, tuam computãs felicitatem. ac eam ob rem extra ecclesię septa, per excommunicationem nunc eiectus. Dum omnia libere pro tua libidine et dicis et agis: nullius superioris potestatem uetitus: omnes etiam ad tuę infelicitatis libertatem uocas: nouam illis male uiuendi licentiam promittens: et ob id inquis: Redibit ad nos lęta libertas: qua nos omnes ęquales esse quocunq; iure intelligamus. In quo non tam episcopos et prælatos, in laicorum classem redigis: q̃ etiã imperatores et reges in infimorum gregem compellis: dum omnes ęquales esse quocunq; iure cõtendis. q̃q̃ et in hoc Luthere, etiam nõ parum, imo plurimum tecum dissides.

Nam paulo ante præscripseras, nephas omnino esse, laicum sacerdotio fungi, nisi uocatum a maiore: nũc autem asseris nullum esse maiorem, sed omnes quocũꝙ iure esse æquales: adeo in incertũ se rotat cęca impietas. Sed quorsum, quęso, erumpit istæc erroris tui uesania Luthere: uidelicet, omnes homines quocumꝙ iure esse æquales? Nimirum non aliorsum, q̃ ut totius uniuersi, quod sola ordinis dispositione decoratur, faciem et pulcritudinem confũdas. Et cũ Paulus ad Roma. docet: Omnia, quæ a deo sunt, ordinata esse. Tu contra doces, nullum prorsus in christianis ordinem extare: sed cuncta confundi, et omnes quocumꝙ iure esse æquales. Sed quis non nouit librũ Danielis palam monstrare, ordinem esse inter angelos in cælo? Quin et euangelium docere ordinem extare, inter dæmones in inferno, quandoquidem sunt ibi principes et potestates tenebrarum, et Belsabub princeps dæmoniorum: qui tametsi in mentibus erga deum, quem amare et uenerari deberent: amoris et uenerationis ordinem non seruant: sed pro amore odiũ, et pro ueneratione blasphemiam ingrati reddunt: ut sic in illorum mentibus uel deũ amando uel honorando, nullus sit ordo: sed sempiternus horror inhabitans: tamen ordinem in illis obseruat deus, quoad tria pulcherrimum: uidelicet, quantum ad naturam, culpam, et pœnam: ut sit in Belsabub natura excellentior, culpa maior, et pœna grauior. Et cum Christus tam decorem seruat ordinem apud dæmones in inferno: nullũ, ut asseris Luthere, apud christianos, custodit Christus ordinem in mundo: sed omnes constituit ęquales. In quo

Roma. 13.

Ordo inter angelos in cælo.
Dalin. 10.

Ephe. 2.
Marci. 3.
Ordo inter malos genios in inferno.

quo quid aliud agis: nisi ut peius hodie se habeat ecclesia christianorum, q̃ orbis et machina iferorum. Si enim Luthere in corpore tuo pulchrum sit, sic ordinem seruari: ut nec caput tuum calcaneo, nec uiliores partes nobilioribus ęques: in corpore autem mistico Christi, quod est ecclesia: quomodo, rogo, non pulchrius erit, sic omnino ordinem statui: ut cum pulchritudine, ultima primis obsequantur: et infima sũmis pareant: et nõ omnia, parilitate æqua turpiter confundas: obscura claris, spurca puris, et prophana sacris parificans. Sed nunquid nosti Luthere ordinem cæli? Namq; in ipsa ineffabili trinitate, tametsi nec temporis nec naturæ ordo sit: nec eo minus est illic originis ordo: cum filius a patre æternaliter gignatur: et spiritus sanctus ab utroq; pari æternitate spiretur: cum tamen in tanta personarum ęqualitate nullum esse ordinem quis facile poterit arbitrari: hic autem ordo trinitatis cum primus sit, et omnis alterius ordinis origo et caput: sic in uniuersas creaturas sese diffũdit: ut nulla sit: quæ pro qualitatis et naturæ suę conditione ordinem ab eo non suscipiat. Nam Hierarchia illa angelica, quæ post trinitatem suprema, tres complectitur ordines: uidelicet, seraphin, thronos, et cherubin: quemadmodum nullo interueniẽte, ab ipsa summa trinitate purgatur, illuminatur, et perficitur. Ita et ipsa quidem mediam Hierarchiam, quæ dominationes, principatus, et potestates continet, etiã purgat, illuminat, et perficit. Istæ enim, ut Dionysius præscribit: operationes inueniuntur hierarchicæ, quas superior Hierarchia inferiori semper communicat. Media autẽ

Ordo in diuina trinitate.

Ordo i Hierarchia angelica.

Hierarchia inter supremam et infimam locata, sicut a suprema purgationē, illuminationem, et perfectionem suscipit: ita citra controuersiam eas in Hierarchiam infimam ubertim et copiose diffundit, illam purgando, illuminando, et perficiendo. At infima uero Hierarchia, quæ uirtutes, archangelos, et angelos cōtinet: quoniam sub se Hierarchiam aliam angelicam nullam habet: cui hierarchicā functionem communicet: propterea sic purgationem, illuminationem, et perfectionem a superiore Hierarchia recipit: ut actus hierarchicos nusquam illi reciprocet: Sed una quælibet Hierarchia suo ordine contenta, in suauissima illa trinitatis contemplacione quiescit beata: tam speciosum et decorum ordinem, ipsa summa et inenarrabilis trinitas, omnis ordinis origo et fons, in sua curia et angelica familia disposuit: cui cum omnino conformare uoluerit Christus ecclesiam catholicam: quam suo precioso sanguine redemit: triplicem etiam in ea hierarchicum ordinē constituit, supremum, infimum, et medium, hoc est prælatos, clerum, et populum: ut prȩlati, tanq̃ supremi, inferiores purgarent, flagitia corrigendo, illuminarent ueram fidem docendo, perficerent. bonæ uitæ et morum exempla salubriter premonstrando. Clerus autem inter prælatos et populum, ideo medius statuitur: ut a prælatis purgationem, illuminationem, et perfectionem primum recipiant: quas postea in populum ipse diffundat. Populus uero cum in illa subcȩlesti Hierarchia infimus sit: sic a prȩlatis et clero operationes illas hierarchicas suscipit: ut nec eas uel inferiori prebeat: nec uicissim superiori retribuat.

Atq;

Atq; huius quoq; rei adumbratio longe quidem ante prę=
cessit in archa Noe: per quam plane sicut mundum et tria Gene. 6.
præcipue in eo, deus quondam saluauit, uidelicet, homi=
nes dei, uolucres cæli, et bestias terrę: Ita in ea et tristega
constituit, hoc est, tres per ordinem chameras, supremã,
infimã, et mediam: ubi una quælibet res, iuxta status sui
conditionem, suum locum obtinebat, singulis animalibus
pro naturæ dignitate, decoro ordine collocatis: quibus
sub uno deo, unus patriarcha Noe sic p̄sidebat: ut illi hu=
militer parerent tygris sęua, leo ferox, serpens liuidus, et
si quid in archa aliud fuerat, his crudelius. Quod tu Lu=
there summo pontifici hodie faceres: si intra archam ec=
clesię catholicę hodie maneres. Nũc autem non emenda=
ta, sed aggrauata errorum tuorum pertinacia, terribili ex=
communicatione perculsus, extra archam emissus es: uti= Genes. 8.
nam cum columba, sed uereor ne cum coruo, denuo ad ar=
cham non reuersurus. Et cum tam decorum atq; uenustũ
rerũ omnium ordinem in archa Noe spectas: cur Luthe=
re in ecclesia catholica illum negas? quia ecce plusq̃ archa
Noe hic, nisi quod longe extra archam positus, ordinem,
quem inferi tonãt, terra clamat, et cęlũ prædicat, in Chri=
sti ecclesia plusq̃ cæcus non uides. Sed nostin, quid Iob Iob. 12.
ait? Interroga, inquit, iumenta, et docebunt te: uolatilia
cęli, et indicabunt tibi: loquere terrę, et respondebit tibi.
Nimirum in ijs omnibus ordinem esse, nec omnia esse æ=
qualia, sed talem deniq; inter ea modum esse, ut sint in il=
lis, qui pręsint pro potestate: et subsint humiliter ac pa=
reant pro subiectione. Nam elephas animal inter terre=
stria

ſtria maximum, et humanis proximum ſenſibus, nec extra agmen uiuens, pro duce habet elephantem, inter cęteros natu maiorem, et molis magnitudine præcipuum: cui reliquum agmen tam obnixe paret: ut illius ductum gubernaculo, nuſq̄ pergāt elephantorum caſtra: quo ſui itineris princeps non ducit. Et ideo de cęteris animalibus aut eorum ordine, quid multa dicere cūctabor? cum oues in ductu, ita arieti obſequantur: ut gradiendo eius ueſtigia non deſerant. Et ceruus cornibus ſpacioſior, et corporis magnitudine grādior, ſic a reliquis in ducem deligitur: ut quicquid ipſe uel mora, uel fuga, per aquam ſeu continentem temptauerit: hoc grex reſiduus, continuo imitetur et audeat. De uolatilibus autem quid opus eſt loqui, aut in hac re iam lectorem remorari? cū in ijs ordo tam apertus ſit: ut grues non ſolum ſuperiorem et ducem, quem ſequuntur: eligant: ſed etiam aduerſus pigmeos pugnaturi, omnia quadam militari ordinis peritia, diſponunt: qui cuneorum et agminum ordinem, ita in caſtris conſtituunt ſeruantq́: ut ordinata eorum acies, magno fuerit pigmeis terrori: tam prudens et ſpecioſa ſit in ijs ordinis cuſtodia. Quod ut de apibus, quæ ducem et regem ſuum agnoſcunt: ſileam: etiam in ciconijs, ſturnis, et alijs uolatilium generibus, maxime gregatim uolantibus, obſeruatiſſimum eſſe, nemo non poſſit uidere: niſi is ſolum, qui in uolatilium natura nihil uidet. Et ideo qui in eccleſia catholica Luthere tam impie omnem ordinem negas, cunctos quocūq́ iure conſtituens æquales: Interroga iumenta, et docebunt te: uolatilia cæli, et indicabunt tibi, q̄ prudens

dens

dens, q̃ꝗ uenustus inter se ordo seruatur. Q̃q̃ et ea, quæ etiam in obstrusis terrę uenis clauduntur: usq; adeo absq; ordine non sunt: ut septem metallorum genera, quæ septem planetarū lumine et influentia in ipsis mineris et uisceribus terrę gignuntur: nec paria sunt nec æqualia: sed pondere, precio, et ualore, pulchro inter se ordine distant. quoniam non solum stamnum argento, et æs auro, concedit in ualore locum: sed etiam in reliquis metallis, pondere et precio, aliud alij plurimum etiam in uirtute cedit. Quapropter supersedeo, de eorum ordine, quæ terrę abscons̃a pariunt: hic longa disceptatione certare: prȩsertim quum philosophi prodant: uolumina doceant: et experimenta commonstrent: telluris abdita, tam obsequibilē inter se ordinem seruare: ut lapis ferro cedat: ferrum magneti obtemperet: magnes autem, tametsi ferrum potentia uincit: tamen potestati adamantis tam humiliter parere, ut eo præsente, ferrum nō trahat. Proinde Luthere de insimarum rerum ordine, si quid hȩsites: loquere terrȩ et respondebit tibi. Quamobrem mirum mihi ualde est: quod ista tot, tanta, ac tam manifestaria errata, quæ nec defendi, nec uelari ullo fuco possunt: Luthere nō uides: nisi ꝙ turbatus es et commotus uelut ebrius, et omnis sapiēcia tua deuorata est. Inuoco igitur aduersus te hodie cælum et terram, imo etiam et infernum, qui absq; ordine nō est: ac cuncta creata, quæ in orbe a deo pulcherrime disposita sunt, et citato Paulo ordinata: q̃ falsum, q̃ erroneū, q̃ impium, q̃ꝗ nephandum sit: quod hic iam contendis: uidelicet, omnes homines in ȩcclesia Christi, quocūq; iure esse Roma. 13.

ęquales infima ſummis, uilia puris, et prophana ſacris coęquans. Nec opinor quidem communem ſenſum, cuipiã adeo deeſſe: ut has tuas tã apertas, tamq; palpabiles dementias, non cito, etiam tanq̃ ad digitum non ſenſiat, intelligatq; eas indigniores eſſe, q̃ ulla mereantur disputatione refelli. Sed quoniam tibi exiguum putas, in romanã eccleſiam, iſtas ſpirare uirulẽtias: propterea illi plures adhuc minaris: De quo plura, inquis, et robuſtius, cum iſta amicis meis papiſtis diſplicere ſenſero. Quis rogo te, niſi is, cui oculus non ſit: ex his uerbis non facile iam uideat, in animo tuo aliud uerſari nihil, q̃ Romanã eccleſiam offendere, ſummum pontificem probris afficere, et ſyncęrã eccleſiæ pacẽ prorſus turbare? nihil tecum cogitans, q̃ ſit ſtultum, leonem tondere, murem elephantem in ſe irritare, et ultro te bello ingerere, de quo non potes, niſi uictus et uulneratus abire. Melius ergo conſuleres tibi: ſi ſaperes, uerba temperare, et ab id genus maledictis abſtinere, etiam ſi deum nõ metuas, nec hominem reuerearis: Quoniam qui maledicit: neceſſe eſt, ut male audiat: et qui uentum ſeminat, mirum non eſt, ſi turbinem metat. Sed hæc iam miſſa faciamus.

Opinionis cuiuſdam lutheranæ parum cacatholice, non obſcura confutatio.

PORRO ſi quis animum ad ſuperiora bene retulerit: ſibi in mentem confeſtim ueniet: quid ab ipſo exordio unice fieri, Lutherus optabat. Nempe ut uniuerſa noui et

ueteris

ueteris testamenti uolumina, in omnium nationum linguas uerterentur: quo passim tererent laici inter digitos diuinorum archana, quæ pro libitu expenderent: et sacramenta scripturæ in manibus haberent: quę curiose meditarentur: et meditata, ubilibet pro uoluntate docerent. Nihil pensi habens, quod uulgo fertur: Male icirco asinum cantare, ꝙ altius orditur. Quod utiq; superioris capitis heresi, omni ex parte tam concinne hęret: ut ne gnomō quidē et regula possint quadratius. Nam cum omnes plebeos et feces uulgi, constituit Lutherus ęqualiter esse sacerdotes: operę quippe preciū sibi omnino erat: ut eos cunctos ęque affirmaret esse doctores: quod nisi nouum et uetus testamentum, in barbaras traducantur linguas: quas intelligere sordes uulgi queant, id effici nunq̄ potuisse, satis ipse aduertebat. Et icirco ab initio nequitiam suam publicę utilitatis specie mentitus, nihil non conatus et laboris insumpsit, quo alijs persuasum relinqueret: hoc cunctis christianis populis admodum conducibile fore, ut uniuersas scripturas diuinas apud se haberent: lingua trita et uernacula ęditas: cum e longa rerum et temporum experientia, ipse iam satis didicit: aliud nihil ad eneruandam simplicium fidem, esse facile perniciosius. Nec eo secius sacras literas in barbarum uerti sermonem, ambit Lutherus: ipse omni barbaro sceleratior: ut eo demum pacto cunctos prophanos ipse sacerdotes pariter et doctores ęque constituat. Et quamuis explorata res sit: diuum Hieronymum admonuisse Paulinum, uirum secularibus litteris eruditum, ad sacras scripturas nullum ei posse patere

introitum, sine prçuio et monstrante semitam. Lutherum tamen nihil puduit, porrectis cornibus, aduersus eum insurgere, assererecp, citra talem prçceptorem, insulsis ac indoctissimis quibuscp, ad sacras litteras facile et peruium iter esse: ea impostura simplicibus fucum faciens. Quod caluus iste comatus, iam non e suo ingenio, sed alieno suffragio potens, ex vvicleffano penu sibi male deprompsit: per hoc studens futuris hæreticis fenestrā aperire, ac simplices quocp ea arte inescare. Nec ista iam scribens, hoc ago, ꝙ nulla asseram e sacris codicibus in peregrinas linguas traducenda: quādo precationem dominicam, ut populus, quid in oratione petit: agnoscat: salutationem deiparæ, quo gens pietatem erga tantam uirginem sibi sanctius augeat: simbolum apostolicum, ut quid ad salutem credi oporteat: plebs sane intelligat: in uulgarem sermonem transferenda esse, tam necessarium semper duxerim: ut exortes culpç prçlatos non arbitrer: qui suos ista natiuo sermone non docuere. Nec quippe illic sistendum esse, ingenue fateor: nam cum populus christianus sit sua professione astrictus: ut duodecim fidei articulos constanter credat: decem prçcepta integre seruet: septem lçtalia peccata fortiter uitet: quincp externos sensus continenter exerceat: septem sacramenta fide teneat: septem opera misericordiæ benigne peragat: Ista e diuinis litteris haud ambigo, in popularem linguam transferenda, modo pura et syncera interpretatio fiat: et ea populo in manibus tradenda, ut catholica plebs, quid credere, quid uitare, quidcp ad salutem agere debeat: perspicue intelligat. Hçc ergo omnia

omnia in cunctarum gentium linguas, e uoluminibus sa-
cris, usqueadeo traducenda censeo: ut populum, qui ista i-
gnorat: christiano nomine dignum non putem. De his
ergo simplices christiani, apud se meditentur et cogitent:
de his semper inter se festis diebus, colloquantur et confe-
rant: ut se ipsis indies meliores euadant. Hæc enim illos
ad stellatas sedes uiam apertam docent; hæc illis ad salu-
tem abunde sufficiunt: et ideo altiora se ne querant: uerũ Eccle.3.
sapiant (ut Paulus consulit) ad sobrietatem, et ne quid ni- Rom.12.
mis: quia sicut qui multum mel comedit, non est ei bonũ:
ita qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria: quan
doquidem si, ut Salomõ ait: Indecens est parabola in ore Prouer.25.
stulti. Quid facient sacramenta scripturæ in manibus in-
docti, in palmis bubulci? Hoc enim quid aliud est, q̃ Her
culis coturnos aptare infanti, et Athlantis onus pigmei
scapulis imponere? Namque ad expiscanda diuinarũ scrip-
turarũ profunda laicos inuitare: perinde quidem est: atque
quisquam admoneat maris ignarum, præfracto nauigio
se pelago committere: et uastum occianum absque naucle-
ro transfretare: presertim cum aliud difficilius fuerit nihil,
etiam doctissimis quibusque uiris: q̃ per altas scripturarũ
undas recto cursu traicere, et undecũque citra errorẽ, ad ue-
ri sensus portũ appellere. Id quod nos docet (ut de Luthe-
ro et eius naufragio iam taceam) Arrij, Sabellij, Eluidij,
et aliorum priscorum hæreticorum ruina: qui tametsi in
scripturis sacris, docti et eruditi admodum sibi ipsis uide-
bantur: sic tamen per alta scripturarum nauigabant: ut
dum ueritatis portum se attigisse putarent: non sine sum-

mo fidei suæ naufragio, in heresum scopulos inciderent. Quod si hoc in uiridi, in arido autem quid erit? Immo si Paulus scribens ad Corinthios (qui uiri certe magno ingenio fuere) dixit: Tanquã paruulis in Christo lac uobis
I.Cor.2. potum dedi: nõ escam, nec dum enim potestis: Cur quęso abscondita scripturarum, prophanis non earum lacte adhuc satis imbutis, libere proponi uelit Lutherus? quod nõ esse faciũdũ Paulus ipse iam docuit? Simul et cur Christi eum longe secus admonentis nihil meminit? Nõne ipse apostolis dixit? Vobis datum est nosse misterium regni
Matthei.13. dei: cæteris autem in parabolis loquor: ut uidentes non uideant: et audientes audiant et non intelligant? Si ergo inter prædicandum plebi, Christus sublimium rerum archana, sic populo occultauit: ut ab illis intelligi nullo pacto uoluerit: sed seorsum discipulis suis differebat omnia: suo exemplo nos ad id faciundum inuitans: Quare obsecro, alia uia Christo aduersa, obambulabat Lutherus: modo licitatus, cuncta diuinorum uoluminum sacramenta in barbarorum linguas sic esse transferenda: ut habeat sutor coriarius, quod de secretis diuinorum alios doceat: prisci ipse imemor adagij: Remũ pellat: qui prius didicit: nec sutor ultra crepidam? Nonne purpurata simia (ut uulgo iactatur) euasit olim mutilata et manca: quia cultro ipsa pręacuto, calceorum formare soleas antea est ausa: q̃ coturnariam artem stulta didicerat: prępostero in suum malum abusa ordine? Cur ergo laicos et indoctos ad sacrorũ uoluminum lucubrationes Lutherus accersit et prouocat? ut habeat nauta temoni assidens, sulcator agrestis stinam tenens,

tenens, quod hæretico supercilio de Theologicis trutinent: antea facti magistri, q̃ discipuli, argutatores deniq; arrogantes, q̃ auditores humiles: non equis plaustrum, sed plaustro equos trahente. Inueniat namq; squalida anus fusum tenens, et cloacarũ emunctor male olens, quod de occultis diuinorum ineptiant: et delirabunde disceptent. In quo quid aliud facit? nisi ut eruditis docendi maiesterium adimat: et stultis audaciam prebeat: atq; mulieribus, quibus Paulus docere nõ permittit: etiam pectus et animos ad docendum addat. Nempe eo meandro facile fore sperabat Lutherus: ut omnes æqualiter sacerdotes cõstituat: pariter et cunctos ad scripturarum cathedram, ęque accersiat: licet lupus incassum hiat: detracta ab ore preda. Et ideo nihil non faciebat: ut archana scripturarũ uulgari labio interpretata haberet: nec mirum: Nam qui ambulat fraudulenter, ait Salomon, reuelat archana. Nec Prouer. 11. apponat iam nobis sacra uolumina, interprete Hieronymo, olim fuisse in linguam dalmaticam uersa: an fabulante Luthero, uerisimiliter ab ullo credi potest, Hieronymũ Cõfutatio. aliquando unum fecisse: contrarium uero christianum populum omnino docuisse? Nõne Paulino uiro secularis litteraturæ nequaquam inscio, diligenter consuluit: scripturarum saltum ne unq̃ ingredi temptaret, citra itineris ducem, et tramitis sui indicẽ? Quare ergo ad fabulas uersus, causatur, imo commẽtatur Lutherus tam catholicum doctorem, sacratos utriusq; testamenti codices in barbaram linguam dalmaticis mutasse: ut absq; prçuio et ostendente callem, per dencissima sacrarum literarum nemora uagarentur

garentur incerti? præsertim cum ipse, ne id unq̃ agerent: districte præceperit. Rursus age, quoniam id uis, Hieronymum bibliam Romanam suis reddidisse dalmaticam: quod sane probabilis coniectura nulla insinuat, id aliquãdo ab eo fuisse factum: maxime eo longe aliud docente: tamen cum Christi ecclesia magna occasione excitata, id iam fieri prorsus uetuit: Cur Luthere aduersus matrẽ tuã ecclesiam, matrem inquam pulchræ dilectionis et agnitionis ferox insurgis? Ecclesia enim Christi tanq̃ diuino afflata spiritu, studens subadolescentibus hæreticorum erroribus, rupta mora tempestiue occurrere: peruetusto prophanos arcebat decreto: ne de sacris litteris temere ausint aliquando disserere: tametsi, ut iam dixi, non tam in suis epistolis Paulus, q̃ et in euangelio Christus uideatur antea id satis admonuisse. Et interim, ut taceam huiusmodi librorum interpretationem in peregrinas linguas, ob barbari sermonis ineptiam, parum consummate posse ab-
Num. 4. solui. Et iccirco citra lęsę ueritatis discrimen non fieri. Tamẽ quid, rogo, in causa fuit, ꝙ numer. 4. mandauit deus: dicens: Aaron et filij eius intrabũt sanctuarium: alij nulla curiositate uideãt: quæ sunt in sanctuario: alioqui morientur? Nisi ut eo demum pacto scripturæ sacramenta prophanis non esse reuelanda ipse doceret. Vel forte an ideo hoc factum est: quia preciosa magis fuere utensilia synagogæ q̃ sacramenta scripturæ: ut illa ob magnificentiã tegi, Ista autem quia minora sunt: omnibus etiam uilissimis possunt pandi? Pręsertim cum Christus ait: illis autẽ in parabolis loquor: ut uidentes nõ uideãt: et audientes

audiant:

audiant, et non intelligant? Rursus an nondum in mentem tibi Luthere uenerit, in uiros Bethsanites, olim fuisse grauiter animaduersum: quod archam dei curiose spectassent, ipsa inspectę archę audacia illis uitā rapiente? Quod si adeo non potuit non nocuisse prophanis in Israel, nudam spectare archam synagogæ: quid, rogo, in Ecclesia Christi expectabit laicorum rude et indoctum uulgus, temere ausum archana rimari scripturæ? Quia ecce, plusq̄ archa synagogę hic. Hiccine est ergo tuus methodus Luthere: quo innocentem christianorum simplicitatem ad fidei ueritatem perducas: et non eos potius in hęresum uoraginem præcipites? Nec tibi suffragiū certe præstare potest id, quod quidam iamdudum scripserat: Laicis in rimādis scripturis, inquit, assit pia curiositas, et curiosa pietas: sed hunc fratrem nostrum rogo: an ibi uestigandi curiositas ulla possit admitti: ubi non aliter q̄ morte queat expiari? Nonne scriptura dicit? Nulla curiositate uideant: quę sunt in sanctuario: alioqui morientur? Nisi forte apud indoctos in sacris indagandis litteris, ideo cupit amicus noster, ut sit pia curiositas, et curiosa pietas: quatenus in illis postea esse queat pius error et erronea pietas. Sed alias de hoc tempestiue magis, ac interim sibi ipsi amicus noster melius consulat. Firmat enim edicto Alexander, quo minus in gemma q̄ a Purgatele sculpatur: nec ab ullo q̄ a Lysipo in ęre ducatur: nec a quopiam depingatur, q̄ ab Apelle: propterea ꝙ hi tum artis peritissimi erant. Amicus noster tamen Lutherus, sacra uolumina ab indoctis, ideotis, et nugigerulis libere tractari et doceri concedit: I.reg.6.

minoris faciens ſcripturam diuinam, q̃ Alexander olim imaginem ſuam mortuam: quam fundi, ſculpi, pingi ab alio q̃ a peritiſſimis ſeuere interdixit. Verum ut in hoc negocio demum nihil contendamus: ſed res potius in pace agatur: ſit modo Lutherus uoti ſui compos, propinemus ei ultro: quod ipſe tantopere ſitit: per euangelium, perq́ ſacrarum litterarum canones, olim bene licuiſſe vvicleſo præceptori ſuo, diuinas utriusq́ inſtrumẽti codices in barbaras uertiſſe linguas: quod nec Paulus nec euangeliſtæ, nec apoſtoli, nec Chriſti diſcipulorũ ulli uiri omnibus linguis diſertiſſimi unq̃ fecerunt. Nihilo ſetius tamen cum iam Lutherum clam eſſe non poſſit: eam librorũ per vvicleſum tranſlationem iſtiuſmodi extitiſſe, quæ multis grauiſſimę ruinę occaſio fuit: chriſtianum orbem ex non parua parte infecit: flagrantes hæreſum ignes longe lateque accendit: quorum faces non dum ſunt reſtinctæ. Miror plurimum, cur eorum Lutherus culpat induſtriam: qui ut mature hinc morbo mederentur, prudente uſi conſilio, cauebant decreto: ne ſcripturarum ſacramenta poſtea populo in barbaras linguas uerterentur: niſi q́ plebeis (ut aſſolet) decipulas tendens, aſtutiam ſuam charitatis fuco tegit. Verum agamus tandem hodie licere, ita ſcripturas traduci: nemo tamen concedit: ut a Luthero cuius in uetus et nouum teſtamentum iam explorata malicia eſt: id genus aliquando traductio fiat. Sed reuera hoc ideo nunc omnibus phas eſſe diſputat: ut etiã et id ſibi facere liceat: quo ſceleſtius ipſo vvicleſo omnia impuret. Proinde mea ſententia, ſi Paulo uel euãgelio admonẽti iam credamus:

prudente

prudente consilio cauendum est: ne alta scripturarum in=
firmis nudentur ingenijs. Nec minus siquidem, q̃ si lippi
entibus oculis solem ostentes, aut certe lactentibus robu=
storum escas, carnes bubalas ipse porrigas. Nam si lippis
splendorẽ solis medicus utiliter interdicit: pariter et febrici
tantes a uino salubriter cohibet: quanto precor, salubrius,
lippientia prophanorum lumina, ne splendida scripturę
archana spectent: inualidos laicorum stomachos, ne so=
lida diuinarum literarum deglutire temptent, ecclesia ipsa
olim prohibuit? etiam si alias id licuisset. Quia omnia, in=
quit Paulus, mihi licent: sed non omnia expediunt. Quid I.Cor.3.
enim licere christianis magis potuit, q̃ quod Christus ait:
Quod intrat per os, non coinquinat hominem? Iusserunt Matthęi.15.
tamen apostoli in primitiua ecclesia, gentiles abstinere a
suffocatis et sanguine. Si enim a licitis, quę Christus con= Actuũ.15.
cessit: christianos arcebant apostoli, propter gentilium
et iudęorũ solam seruandam comitatem: quomodo, quę=
so, non multo æquius restringit ecclesia laicos, a scriptu=
rarum secretis, ob custodiendam fidei integritatem? Imo Num.21.
si serpentem ęneum, quem imperaret deus erigi in excel=
sum: mandauit Ezechias rursum deponi, frustratimque 4.reg.18.
conteri, non ob aliud, nisi quia populus Israel sacrificulus
illo male abuti cœperat. Qualiter, obsecro, non iustiore
edicto solidaret ecclesia: ne sacrorum codicum in barbaras
linguas traductio (per quam in immensas hæreses multa
populorum frequentia ruit) usq̃ postea in christiano orbe
laicis promanaret. Quippe si discipulum Timotheũ Pau=
lus circumcidebat: non ꝙ illi opus esset ad iusticiam cir=

cumcisione, sed ne infirmis iudęis offendiculū foret. Quomodo obsecro, non rectius prohibere oportet id genus in barbaras linguas scripturarum traductionem: ex qua nō paucę gentes hęresum impietate prorsus perierunt, nedū offenderūt. Nōne Paulus ait: Si esca mea scandalizat fra-
I.Cor.2. trem meum: non manducabo carnes in ęternum? Cur ergo scripturas in peregrinū sermonem transferri petis: unde fraternæ saluti tam grande dispendium imminere palam cernis? An forte ferrum peracutum infantis manibus, quo sauciare se facile queat: tuto satis et recte committis? An ignoras uetere esse celebratum adagio, ne puero gladium: et ne lectorem prolixior oratio remoretur. Ad hęc quoq; tandem accedit, ꝙ cum in ampla atq; magnifica familia, ubi temperati et intemperati, sobrij et male sobrij extant: nemo hoc consilij ęstimat: ut meri et aromatum promptuaria omnibus ęque pateant. Tu tamen Luthere absq; ullo delectu, doctis et indoctis, eruditis et ideotis, ad intima scripturæ haurienda nullis penitus claudis ingressum: sed cunctis æqualiter introitum concedis. Itaq; hoc in Ecclesia Christi fieri Luthere hodie temere uelis, quod in domo bene gubernata agi: sapiens profecto nullus admittit. Complura ergo Luthere in hoc negocio pro tua libidine blateras, quæ non dico scriptura, sed ne ulla quidem præsentis temporis ratio queat sustinere. Nec in his amplius contendo, cum clariora esse uideantur: q̄ in illis iam tecum licitari sit opus. Nec segniter præterire de-
Exo.21. bueras id, quod liber exodus habet: Si quis aperuit cisternam, et foderit, et nō operuerit, cecideritq; bos aut asinus in eam

in eam, reddet dominus cisternæ precium iumentorum. Exo.21.
Quod rogo, unq̄ cisternæ genus fuit scripturis sacris aliquando altius? Aut ubi, quæso, aliud explorari possit, uel illis profūdius? Puteus enim altus est: nec habet populus prophanus, natura rudis unde hauriat? Altitudine prohibente accessum. Proinde hunc puteum, in quem ne bouina laicorum simplicitas, aut indocta et asinina eorum ruditas præceps, unde emergere non possit: cum dispendio rueret: bobus et asinis huiusmodi operire deus iubet. An forte, inquit Paulus, est deo cura de bobus, et nō potius de hominibus: ne tale quiddam illis profundum aperiatur: quo in hæresum ima incauti decidant: quod olim vvicleffistis, qui scripturarum in tritum sermonem interpretationem amplexati sunt: cum summa salutis suę iactura euenerat.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

LVTHERVS.

HINC ungendorum infirmorum duas additiones sese dignas addiderunt nostri theologi: unam, quā sacramentum appellant: alteram, quam extremam faciūt. Verum habent hic: quod in os mihi retundant: nempe ꝙ authoritate Iacobi apostoli hic promissio et signum sit: quibus sacramentum constitui ego hactenus dixi. Dicit enim: Si infirmatur quis ex uobis, inducat presbiteros ecclesiæ: et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine

domini: et oratio fidei saluabit eum: et si in peccatis sit: remittuntur ei. Ecce, inquiunt, promissio remissionis peccatorum et signum olei. Ego autem dico, si uspiam est deliratum: in hoc loco præcipue deliratum est. Omitto enim q hanc epistolam non esse apostoli Iacobi, nec apostolico spiritu dignam multi ualde probabiliter asserunt. Tamen si esset apostoli Iacobi, dicerem, non licere apostolũ sua authoritate sacramentum instituere: id est diuinã promissionem cum adiuncto signo dare.

POVELVS.

DE extremę enim unctionis sacramento Lutherus utcunq; iam aliqua dicturus: antiquo calle obambulans, spiritu non apostolico, sed apostatico instructus, sicut et alia tria sacramenta superius, ita et hoc sacramentũ aliud q̃ ritum ecclesiasticum esse nolit. Et quia Lutherus, cui nullus esse potest mendaciorum finis: Iacobi epistolã aduersus se fortiter pugnare cernit: Propterea (ut elabendi ars est, et machina omnium hæreticorum) illam Iacobi esse epistolam prorsus negat: ex eo futurum sperans, ut errorem suum cito statuat: et extremæ unctionis sacramentum facilius confundat. Nec certe, quantum ex eius uerbis coniectura consequor: id facit ulla re alia prouocatus,
Rom. 4. q̃ propterea, quod asserat Paulus ad Romanos, Abrahã non ex operibus, sed ex fide fuisse iustificatum. Ediuerso uero, in sua epistola Iacobus, Abraham non ex sola fide,
Iacobi. 2. sed ex operibus iustificari manifeste prodit. Proinde homo iste diuinorum eloquiorum paruũ gnarus, ęstimans apostolos hos inter se duellum agitare: nec posse simul

utrumq;

utrumq; defendi: Pauli sententiam ipse tueri conatus, abnuit epistolam hanc a Iacobo prodijsse: quasi Paulus ad se propugnandum, Lutheri mendacio egeret: cum tamen uerba ista, si apostolorum intentio hinc inde æqua lance diligenter trutinetur: nihil penitus est: in quo dissident: imo egregie inter se quadrant: quod quiuis certe facile intelliget: modo litteræ circumstantiam, et scripturę phrasim consultus pensiculet: atq; ad Pauli Iacobiq; mentem aciem prudens et non cæcutiens dirigat. Nam Paulus ad Romanos scribens, uigilanter studet iudęos: qui citra legem euãgelicam, ad salutem etiam legem moysaicam obseruandam docebant: ab errore auocare. Et ideo mox e scripturis enucleat illis, Abraham eorum patrem non fuisse iustificatum ex operibus: nihil prorsus de operibus pietatis et misericordiæ, sed dumtaxat de operibus moysaicæ legis et circumcisionis loquẽs: de quibus paulo post dicit: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. At uerò Iacobus tunc intuens non paucos hebreos, sed tamẽ eo tempore christianos, sic soli Christi fidei hærere, ut de pietate et misericordia in fratres modicũ fuerat: quod curabant, si tamen aliquid curabant: confestim illis elucidat Abraham non ex sola fide, sed ex operibus, non circumcisionis aut moysaicæ legis, sed ex operibus pietatis et misericordiæ iustificationem accepisse: erat quippe homo deo obtemperans, paratus illi mactare filium, hospitalis admodum, et erga egenos semper pia gestans uiscera: ob quæ in semine suo omnium gentium benedictionem obtinuit. Nam q̃q̃ crediderat Abraham deo, et reputatum

est

est sibi ad iustitiam: tamen sua fides illum non adeo iustificauit: ut ob illam in suo semine omnium gentium benedictio, et illi promitteretur, et etiam iureiurando firmaretur: sed utrumque ex Abrahæ operibus est consecutum,
Gene. 16. id quod scriptura luculenter docet: Per memetipsum iuraui dicit dominus, qui fecisti hanc rem in semine tuo, benedicentur omnes cognationes terræ. Nec enim dixit, quia credidisti: sed quia fecisti hanc rem: ut eo demum pacto ostenderet, non fidem solam, quæ, teste Iacobo, absque operibus mortua est: sed opera Abrahæ pia, quæ e fide perfecta sunt: tãtam seminis benedictionem meruisse. Quoniam quemadmodum nec dumtaxat elemento, nec solo uerbo, nisi in unum utrumque coeat: recte aliquãdo absoluitur sacramentũ: quia accedat, inquit Augustinus, uerbum ad elementum: et fit sacramentum: haud secus plane, nec fides in se una, nec operatio sola, nisi ambę una copulentur: æternam hominis consummant salutem: quia, assertore Iacobo, fides sine operibus mortua est. Quamobrem ad comparãdas perpetuæ quietis sedes, præsertim in adultis, non tam fide ac pietatis operatione, quam etiam sacramento erit opus. quo facile constiterit: ille a uera fide quam procul abierit: qui sola fide hominem posse saluari contenderit: cum citra fidem, sacramentũ, et charitatis actionem, ubi facultas suppetit: id consequi nemo aliquando
Ioann. 3. poterit: quoniam, assertrice scriptura, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto: non potest introire in regnum dei. Deinde sine fide, inquit Paulus, impossibile est
Hebr. 11. placere deo. Ac postremo, teste Paulo, si habuero omnẽ

fidem et

dem et omnem ſcientiam, charitatem autem non habeā: nihil mihi prodeſt. Conſpicuum eſt ergo e ſcripturis, ad impetrandas piorum ſedes, præſertim in adultis tria exigi. Nempe fidem, ſacramentum, et charitatis operationem. Hæc enim ſunt, quæ ad æternæ ſalutis benedictionem mortales adducunt: quando a Chriſto illis dicetur. Venite benedicti patris mei, percipite regnum uobis paratum: quia eſuriui, et dediſtis mihi manducare. &c. Ideo apareat Abraham non ſola fide, nec ex operibus moyſaicæ legis, uerum ex operibus miſericordiæ et pietatis, quæ a fide prodierunt: fuiſſe iuſtificatum: id quod ſcriptura non tacuit: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi. &c. Et iterum: Qui coronat te in miſericordia et miſerationibus. Pulcre ergo conſonant ſibi iſtęc apoſtolorū uerba: quādo Paulus affirmat, Abraham non fuiſſe iuſtificatum ex operibus moyſacæ legis: Iacobus autem aſſerit illum iuſtificatū fuiſſe ex operibus miſericordiæ et pietatis in fide tamen factis. Tametſi intelligi recte ualuerit de operibus fidē pręcedentibus: quādoquidem oratiōes et elemoſinę Cornelij ante ſuſceptam fidem, eum non iuſtificabant: ſed fides poſtea concepta. Nec tamen ipſa fides, abſq; operibus et ſolido permanendi in oratione et elemoſinis propoſito: ſicq; fit: ut fides iuſticiam inchoet: pietas autem cum miſericordia eam conſummet: hominem uita æterna dignum efficiens. Hoc ergo pacto, Paulus etiam bene et recte concipitur, Abrahā non fuiſſe iuſtificatum ex operibus fidem præcedentibus. Nec tamen ulla ex parte cum eo pugnat: quod Iacobus aſtruit,

Matthęi. 25.

Pſal. 102.

Actuū. 10.

struit, Abraham iustificatum ex operibus: hoc est ex pietate et misericordia fidem sequentibus: maxime cum Paulus dicat. Pietas ad omnia utilis est, ad spem uitę, quę nūc est: et futuræ. Coherent ergo sibi concinne ceu gnomon ad amussim apostolorum uerba: quia opera fidem anticipantia quantumuis bona, neminem iustificant: hoc est uita ęterna dignum reddunt: ut Paulus astruit. Opera autem pietatis et misericordię fidem sequentia, hominis iusticiam consummate absoluit: Vt Iacobus affirmat: sic enim scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iusticia eius manet in seculum seculi. Scripturę igitur uerba Luthere pondere communi trutinas, nequaquam autem sanctuarij: quod si utiqꝫ fecisses: pugnare inter se apostolorum sententias, minime æstimasses. Proinde de his iam satis, si tamen indurato, quicquam sit satis. Nihil ergo iam causę est, cur mouearis Luthere, infìcias ire, epistolam hanc diui Iacobi esse: pręsertim scriptura pro illa palam pugnante: q̄q̄ et in hoc negocio tuis te ipsum telis satis confodis: etiam si nos silentium seruaremus: quoniam si modo uera atqꝫ æqua sit norma illa, quam de iudicandis diuinis uerbis, nobis paulo superius constituisti: uidelicet, ad ecclesiam solum pertinere uerba diuina, ab humanis discernere: cum epistolam illam, tanq̄ apostoli, ecclesia in canonē receperit: et eam, ueluti diuino spiritu scriptam, semper tenuerit. Cur contra regulam, quam ipse fundasti: cur contra legem, quam tulisti, cur contra ius, in quod nos uocasti: illam pro epistola Iacobi reieceris? continuo dilapidans, quod iam pridem erexeras: præsertim tantæ dilapidationis,

1. Tim. 4.

Psal. 112.

dationis, adhuc nulla bene reddita causa? cum facile sit cuiuis indocto omnia negare, etiam et ignem calere, negationis suæ nulla constituta ratione. Et iterum, cum eius esse epistolam ecclesia semper discreuit: et pro diuinis uerbis (ut ipse ais) sunt omnia accipienda, quęcumq; ita debere accipi, ecclesia præscripserit: non debuisti profecto ullo pacto eam exauctorare: nisi eam normam, quam iamprídem constitueris: uelis ipse denuo perimere: et more desipientis architecti, destruere quod struxisti. Quod certe tibi Luthere, nouum non est: ut Penelopes telam texas: hæretico spiritu hinc inde tam turbide agitatus, ut peius q̄ te ipsum pene conturbes neminem. Si etiam epistola esset, inquis, Iacobi apostoli: dicerem, non licere apostolū instituere sacramētum. Nempe extremæ unctionis sacramentum a Iacobo institutum fuisse, theologorum nostrorum nemo unq̄ dixerit: licet liuore et odio, id illis falso impinxeris. Verum huius sacramenti diuulgatorem Iacobū fuisse: Christum autem, qui Marci sexto, discipulos oleo infirmos ungere docuit: eius institutorem esse, omnes nostri asserunt: nec promissionem diuinam, nec promissionis signum, Iacobus nobis dedit: sed diuinam promissionem et signum, sicut a Christo didicit: ita postea nobis in illa epistola ipse propalauit. Quod ab eo fieri, ualde ægre fers Luthere: cum nihil sit, quod te anxius affligit: q̄ φ ecclesiæ sacramenta, conuellere funditus nequeas: sed frustra niteris aduerso deo: nec conatus tuus cedet tibi prospere, pugnante contta te Christo. Cæterum in hac re, cum quosdam neotericorum libellos (qui tanquam scioli

Marci.6.

Luthero arrident) iamdudum legissem: ualde eorum sum admiratus audatiam: qui antea uolare cupientes, q̄ illis plumę crescant: non theologicæ rei cognitione: sed solo latini sermonis præsidio freti, scripturarum archana, quæ ipse hactenus non didicerunt: tanq̄ grandes rabini, alios uoluerunt ipsi scribendo docere, et immensa eructare, quę summis labris non dum gustauere: ignorantes, q̄ sit periculosum in bello uel semel delinquere, ubi errare citra capitis iacturam nemo poterit. Et ideo magna haud dubie est eorum hodie temeritas: qui tametsi uix paulo doctiores, q̄ grammatistę fuerint: nec ipsam quidem theologiā aliquando bene salutarunt a limine: tamen dum gestiunt auxilia Luthero præstare subsidiaria, et facundi ac incliti per orbem præceprores uideri (cum sint ipsi inertes, heri nati et hodie loquentes) profunda scripturarum, quę uix in superficie hauserunt: studuerunt non humiliter aut docte, sed cęcutienter et in supercilio tractare, ac male quoq; tractata, multiplice errore conspergere, lenocinio uerborum conati alios decipere, ipsi plusq̄ cæci, scripturarum ignorantia prius decepti. Quæ res profecto usq; adeo ferenda non est: ut plane alia nulla sit magis abhorrenda: pręsertim cum nullus sit locus uenię in illis peccare: quæ certa sunt ad fidei integritatem pertinere. Proinde demiror haud dubie plurimum, cur principes ecclesiæ, quibus ad eliminandas hęreses, peruigil et studiosa cura foret (eorum uenia dixerim) sic oscitant, sic dormitant: et non est, qui excitet: sic ipsi recensuum errores dissimulant: ut sinā̄t in suo procinctu, pestiferos errorum libellos libere imprimi,

mi, passim prostare: ubilibet circumferri: quasi illis de ecclesia Christi, aut saluandis christianis, nulla prorsus sollicitudo fuerit. Nam quomodo, obsecro, scelere pares nõ sunt, et hi, qui id genus codicillos ediderunt: et qui eos iamdiu inpune uendi, ac eminus cominusq́ circumduci ultro permiserunt? Quamobrem iam consulant christianæ fidei (si tamen fidei zelatores sint) consilio et eo tempestiuo, quandoquidem tarde sapiunt: qui saucij et lęsi sapiunt. Nam irrepsit hic cancer iam longius, ignauia nimirum põtificum et procerum ecclesię, qui typographos cohibere antea debuissent: ne quid, quod a fidei puritate, uel christianæ uitæ honestate abhorreat: ipsi sub prelo aliquando haberent. Recente ergo adhuc uulnere (si quæ Christi sunt curant) malagma ipsi mature apponant: quia sero medicina paratur: cum mala per longas conualuere moras.

LVTHERVS.

SED pulcrum est, quod promissio apostoli expresse dicit: oratio fidei sanabit infirmum: et alleuiabit eum dominus. Vnde in hoc ungi et orari apostolus pręcipit: ut infirmus sanetur, et alleuietur: hoc est, non moriatur: nec sit extrema unctio: quod usq́ hodie probant preces, inter ungendum dictę: quæ infirmum restitui petunt: illi contradicunt, nõ esse dandam unctionẽ, nisi discessuris, hoc est, ut non sanentur, non alleuientur: nisi res ista esset seria. Quis risum queat tenere super tam bellis, apertis, et sanis apostolorum uerborum glossis? Nonne hic aperte deprehenditur insipientia sophistica? Quæ, ut hoc lo-

co ita multis alijs, quod affirmat, scriptura hoc negat: hoc affirmat, quod illa negat: quin igitur gratias agimus tam eximijs magistris.

POVELVS.

SI usquam a Luthero sophisticatũ fuerit: quemadmodum passim reuera aliud non agit: hoc pręcipue loco, est insignius sophisticatum. Quod cuiuis nunc facile perspectu erit: si uerba apostoli ad q̃ sinistrum sensum truserit: in primis consyderemus. Oratio fidei, inquit apostolus, sanabit infirmum, et alleuiabit eum dominus. Quod Lutherus uero pulcre exponens, ait. In hoc ergo, inquit, ungi et orari apostolus præcipit: ut infirmus sanetur, hoc est, inquit, ut non moriatur. O technam hominis callide structam cum tam bella glossa: o hominem de apostolo optime meritum, et sanum eius interpretem: nam illum non spiritus sed carnis, non animę sed corporis medicum constituit et chirurgicum: In hoc, inquit, ungi apostolus pręcipit: ut infirmus sanetur in corpore, spiritualem animæ salutem torquens. hoc si scripturas peruertere nõ est: rogo, quid est peruertere scripturas? Apostolus de aromate et balsamo loquitur: et ipse de allio et cepis intelligit: adeo non est difficile impijs, candidas denigrare scripturas. Christus namq; cum dixit: Qui crediderit et baptizatus fuerit: saluus erit: Nunquid de salute corporali, et
Matthęi.ul.
non potius de spirituali uerba sua intelligi uoluit? Rursus cum de sacramento altaris Christus promiserit: Qui man
Ioan.6.
ducat ex hoc pane: uiuet in ęternum. Nunquid his uerbis est mortalibus policitus uitam carnalem, et non citius

uitam

uitam animę ſpiritualem fore ęternam? Cum ergo in utro-
que ſacramento uerba Chriſti promittentis non aliter quam de
ſpitituali ſanitate poſſunt intelligi: uerba apoſtoli tractā-
tis extremæ unctionis ſacramentum, ut a Chriſto didicit,
et dicentis: Oratio fidei ſanabit infirmum: cur de ualetu-
dinario in corpore, et non potius de animę ſpirituali ſana-
tione intellexit? quando nihil ſit a ſcrupulo magis alienū,
quam quod ecclesiæ ſacramenta nō ad corpora, ſed ad animas ſal-
uādas Chriſtus inſtituerit? Niſi quod iſte fuci factor, ſcri-
pturę pudicitiam conſtuprans, ſophiſticata equiuocati-
one, ſanitatem ſpiritualem in ſacramēto unctionis ad cor
poralem ui trahit? mel in ſel, et merum in acetum uertens.
Neſcio unde ſibi aſſumpta, tam inſana dementandi occa-
ſione. Proinde iam uerum eſt: quod iampridem dixi, nul-
licubi fuiſſe aliquando a Luthero pulcrius, hoc eſt inep-
tius aut magis limphatice ſophiſticatum: quam hoc loco, ubi
ſublata ab apoſtolo animæ medicina, corporis illum me-
dicū fecit et pharmacapolam. Quin igitur et nos gratias
agimus huic inſigni hærerico: qui tam impudenter de-
traxit Iacobo apoſtolo. Porro apoſtolus Iacobus ſacra-
mentum confirmationis, ueluti animarū medicinam, qua
in extremis chriſtianorū animas ſeruaret, perdocuit. At
Lutherus noſter uenenarius, neſcio quo eum inſtruente
malo genio, reperit iam cacapharmacū: quo omnes chri-
ſtianorum animas, ad extremum perdat. Nam ipſe apo-
ſtolum in hoc negocio non de animę, uerum de corporis
ſana ualetudine, dumtaxat loqui ſeuere ac rigide conten-
dit. Quo citra controuerſiam, chriſtianæ fidei aliud facile
nihil

nihil potuit cogitari nocentius: Quandoquidem ecclesiæ Christi sacramenta uniuersa: tametsi medicinę sunt: tamen non corporum, ut Lutherus malo instigatus genio mentitur: sed animarum existũt medicamina: quibus internę mentium infirmitates deo suppetias ferente, omnifariam curantur. Et ut iam pauca de animarum languoribus, qui non pauci sed septem sunt: hic per compendiũ dicamus. Humanę quippe animę infirmitas in primis bipartita est, uidelicet culpę et pœnę. Si autẽ infirmitas culpę, aut originalis est: cui medetur abunde baptismus: aut mortalis, cui affert remedium pœnitentia: aut uenialis, cui succurrit satis extrema unctio. si autem sit infirmitas pœnæ: et ipsa quidem quadrifaria est: quia aut est pœna ignorantiæ in intellectu, cui opi et pręsidio extat sacramẽtum ordinis, in quo confertur clauis scientiæ: aut pœna malitiæ in uoluntate, cui subuenit sacramentum eucharistiæ: aut pœna impotentię in parte irascibili: cui suffragatur confirmatio: aut certe pœna concupiscentię in parte concupiscibili, cui opitulatur sacramentum matrimonij. Ista ergo sunt septem sacramenta, a seruatore nostro Iesu Christo, tanquam uera animarum medicamina misericorditer instituta: et in ecclesia Christi, ueluti in miropolio et officina eius aromatoria, pro sanandis animarum morbis recondita. sicut in psalmo scriptum est: Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Nec ad medendas modo animarum egritudines, sed etiam ad promouendas quoq; uirtutum operationes, sacramenta utiq; sunt a Christo instituta. Nã

quemad-

quemadmodum ſeptem ſunt uirtutes, tres uidelicet theo=logicę, et quatuor cardinales: quibus ad aſſpirãdam æter=nam gloriam, omnes plane egent: ita indubie ſeptẽ ſunt ſacramenta, ad operationes iſtarum uirtutum exequen=das: quę nõnihil momenti et ponderis in ſe habent. Nam adiutorium perq̃ ſolidũ præſtat baptiſmus, ad actum fi=dei: extrema quippe unctio, ad actum ſpei: euchariſtia autem ad actum charitatis: ordo uero, ad actum pruden=tiæ: confirmatio quidem ad actum fortitudinis: pœnitẽ=tia haud dubie ad actũ iuſtitię: deniq; matrimonium ad actum temperantiæ. Itaq; uidetis hic o catholici et ueri chriſtiani, iam cũctis conſpicuum eſſe, ſacramenta ſeptẽ, non ſolum ad ſpirituales humani generis curandos lan=guores, ſed etiam ad proſequendas theologicarũ atq; car=dinalium quoq; uirtutum operationes, neceſſario fuiſſe a Chriſto inſtituta: quorum fidem deſerit nemo: niſi is, cum Luthero ſit, et animæ et ſalutis ſuæ contemptor. Ho=rum autem ſacramentorum, etſi numeroſe in uetere teſta=mento figuræ extiterunt: tamen ne ullis ſcriptor faſtidio=ſus appaream: e pluribus nunc niſi duas, aut ad ſummum tres, et eas breuiter ſtringam. Nam Leuitici. 8. ſeptena re=uera aſperſione ſynagogæ tabernaculum a Moyſe fuerat olim ſanctificatum: Quia poſtea a Chriſto ſeptemplice ſacramentorum gratia eccleſia fuerat cõſummanda: Om=nia enim in figuris accedebãt illis. Deinde Numer. 8. ſep=tem erigi lucernas, ut inter ſacrificandum in ſynagogę ta=bernaculo lucerent: deus quondam mandauit: ſine qui=bus nec ſacrificia, nec libamina illi placuerunt: Quia poſt

Leui. 8.

Num. 8.

a Christo sacramenta septem, in ecclesia erant sublimanda: quę non tam ad dei honorem, q̃ ad illuminādas christianas mentes, illic rutilanter splenderent: sine quorum fide, nec humana opera deus ipse accepta haberet. Postremo et templum dei Ezechiel ipse describit: et ascensum in illud, septem esse graduum ipse diffiniuit: quia tempus futurum aliquando erit: in quo nisi per septem sacramenta et eorum fidem, scandere ad cælum nemo penitus ualeret. Deinde etiam fuerunt non tam typis pręfigurata: q̃ prophetarum oraculis longe antea prælocuta. Prouerbiorũ enim nono dicitur: Sapientia ędificauit domum, et excidit columnas septem: quandoquidem tunc expectandũ fuit: ut latus pariter et cor suum Christus lancea perfodendum offerret: ut ex ea cordis sui fossura septem sacramenta erigeret: quibus tanquam strenuissimis columnis, ecclesiam domum suam consummate absolueret. Taceo breuitatem gestiens, psalmum. 28. in quo quidem, quoniam forma sacramentorũ in uerbis consistit: Dauid sub nomine septemplicis uocis, etiam septem sacramenta manifeste expressit: a sacramento baptismi, quod omnium sacramentorum fundamentum est et ianua: palam exorsus. Vox domini, inquit, super aquas deus maiestatis in-
Psal. 28. tonuit dominus super aquas multas: Et sic deinceps, eo in psalmo de sacramentis cęteris tam aperte loquens: ut Dauid illic ueram sacramentorum institutionem, q̃ eorũ prophetiam uideatur magis narrare. Sed mordebunt ista grauiter Lutherum, iam christianum populum super septem sacramentis catholice doceri: cum ipse ea abolere ner

uis

uis omnibus sudat. Nihilo tamen minus Christi ecclesiã, quo ipse impugnat infestius: eo plane utilius illi conducit uel inuitus: quia dum in heresum excogitatione, indies fit ille in malum astutior: euadit profecto ad eius calcandos errores, ecclesia quidem Christi in scripturis quotidie doctiot, et indies in fidem uegetior. Itaq; iam factum est, ut Lutheri in fide grauis ruina, tam constans hodie extat catholicorum structura: ut nimirum plus ipse profuerit fidelibus errando, q̃ prodesse unq̃ potuerat, etiam uera concionando: nec putetur oraculum oriri ex malis bona, quando ex uenenis emanant antidota: et ex intoxico sit nata tiriaca.

LVTHERVS.

CAute et de industria Iacobus prouidit: dum remissionem peccatorum non tribuit unctioni, sed orationi fidei: sic enim dicit: Oratio fidei saluabit infirmum: et si in peccatis fuerit, remittũtur ei. Nihilo tamen minus nostrum iactamus sacramentum imo figmentum, hac apostoli sententia plusq̃ per bis diapason repugnante, fundari et probari: O theologos, igitur hoc unctionis extremę nostrę sacramentum non damno: sed hoc esse, quod ab apostolo praescribitur: constanter nego. Itaq; non negamus per extremam unctionem dare remissionem et pacẽ: non quia sacramentum, sed quia suscipiens ita credit sibi fieri: fides enim suscipientis non errat, quantumlibet minister erret. Si enim ioco baptizans aut absoluens, hoc est non absoluens quantum ad ministrum pertinet: reuera absoluat et baptizat: si credat baptizandus et absoluen- Asinus portãs misteria

 dus:

dus: Quanto magis ungens extrema unctione pacificat: etiam si reuera non pacificet; si ministrum spectes: suffi-cit enim uncto uerbum audire et credere: quicquid enim credimus nos accepturos esse, id reuera accipimus, quic-quid agat, non agat, simulet, aut iocetur minister: Stat e-nim Christi sentẽtia: Credenti omnia possibilia sunt. Et iterum: Fiat tibi, sicut credidisti.

POVELVS.

RImas enim, per quas ad exterminandos catholicos, Luthere introeas: nullas prorsus in scripturis nõ ui-gilantissime scrutatas omittis: quia Iudas nõ dormit. At ubi pro uoto, in scirpo nodum explorare non possis: mox alio te diuertis: ut sacras litteras modo in sinistrum tor-queas: modo inuertas, et depuratas impures: modo in peregrinum sensum deflectas: modo rerũ equiuocatione, ueritatis sensum oblitteres: nihilnon conatus, ut castissi-mas quasq; euangelij et apostolorum scripturas, uiolen-ter tuæ libidini prostituas. Quod etiam ipse et in præsen-tia facis: per ferrum perq; ignem currens, ut Christi eccle-siæ (si ulla quiueris uia) plurimum officias. Caute, inquis, et de industria Iacobus prouidit: dum promissionem sa-nitatis, et remissionem peccatorũ nõ tribuit unctioni, sed orationi fidei: sic enim dicit: Oratio fidei saluabit infirmũ: et si in peccatis fuerit, remittuntur ei. Ecce q̃ uigilanter ri-mam moliris offendere Luthere: ubi aculeũ infigas: quo extremam unctionem pro sacramẽto e rebus tollas. Et i-circo in his apostoli uerbis, ut dolus tuus deprehendatur apertius: in sacramento extremæ unctionis tria extant,

modo a nobis in primis pensiculatius cōsyderanda: quorum duo sunt de substantia sacramenti, uidelicet oleū tanq̄ materia sacramenti, et deinde forma uerborum: Quia accedat uerbum ad elementum, et fit sacramentum. Oleū ergo unctionis et forma uerborum, plenum constituunt sacramentum: quod in infirmo remissionem peccatorum operatur: quia inuisibiliter intus efficit: quod foris uisibiliter figurat. Tertium autem est oratio fidei: quæ tametsi huic sacramento annectitur: non est tamen de substantia sacramenti: sed ideo illi adiuncta est: ut quemadmodum per sacramentum extremæ unctionis, infirmo peccatorū remissio tribuitur: ita per deuotā fidei orationē languenti copiosior gratia, et si animę suę expediat etiā corporis incolumitas prebeatur. Quod autē a sacerdote deprecata sanitas infirmo raro et non crebro redit: hoc ideo fit: quia ęgroto raro et nō sępe expedit: nec orationi fidei aliter infirmi sanitas promittitur: nisi quantum animæ eius conducit saluti. Optime ergo prouidit apostolus: ut doceret Lutherum luto uiliorem, et alios hęreticos, si qui sunt in hoc errore illi pares: quomodo in sacramento extremę unctionis, inter sacramentum et orationem fidei distinguere deberent: et ea omnino sic discriminare: ut sacramēto peccatorum remissionem ex diuina promissione tribuerent: orationi autem fidei, gratię accumulationem, et corporis conualescentiam: modo infirmo expediret: ascriberent. Quod sophista contentiosus et nugator noster Lutherus, aduertere uel nesciens, uel potius nolens: neutrum ab altero distinguens: sed utrumq; una confundens: corporis

pariter et animæ salutem, non sacramento, sed soli orationi fidei tribuit. Verum hoc extremæ unctionis nostrum sacramentum, inquis Luthere, non damno. Si enim non damnas: cur ergo negas? Immo si non damnas: cur figmentū uocas? Quando in his, quæ ad fidem pertinent: q̄ figmentum nihil prorsus fuerit magis damnandum. Rursus si figmentum non fuerit: quemadmodum reuera non est: sed uerum Christi et ecclesiæ sacramentum: et ideo illud non damnas: sed potius tacitus probas: cur id, quæso, non aperte prędicas? et ad id confitendum alios inuitas? nisi quia homo turbidus, et plusq̄ factiosus, schisma et discordiam in ecclesia seminas: et Nembroth propriam gloriam uenaris et indagas. Sed nō negamus, inquis, per extremam unctionem dari remissionem et pacem: non quia sit sacramentum diuinitus institutum: sed quia suscipiens ita sibi fieri credit: Fides enim suscipientis non errat, inquis, quantumlibet minister errat. Quis enim catholicorum in tantis erroribus iam tacere poterit, et non acriter eorū arguere authorem: nisi Luthero fauere (quod sceleratissimum foret) forte uelit uideri? Proinde nunc audi Luthere: nec euadas hic modo surdaster. Quod si fides suscipientis non errat: quantumlibet minister errat: cum igitur fides infirmi suscipientis constanter tenet extremā unctionem esse sacramentum diuinitus institutū: sic enim ab ecclesia semper instructus fuerat: Ergo extrema unctio est uerum ecclesię sacramentū a deo institutum? Alioqui fides suscipientis erraret: et fides eius non uera sed erronea esset: cum ipse sic esse semper crediderit: Itaq; laqueus

quem

quem abſcondiſti, apprehendit te: et in pedicas, quas feceris: pedes inieciſti tuos: quia dum extremam unctionē probare non eſſe ſacramentum, anxie laboras: illam ſacramentum uerum eſſe, uerbis iam manifeſte cōcluſeris tuis: adeo in te utrobiq; tuę militant copię. Deinde Luthere tu tanq̄ grandis ęnigmatiſta platonicis ludens numeris, in hæc uerba erumpis. Ioco baptizans aut abſoluens, hoc eſt non abſoluens: quantum ad miniſtrum pertinet: reuera baptizat, inquis, et abſoluit, ſi credit baptizandus et abſoluendus: quanto magis, inquis, ungens extrema unctione pacificat: etiam ſi reuera non pacificat: ſi miniſtrū ſpectes? Quid uult ſibi iam quęſo, tanta uerborum pugna? Quid tam ingens ſententiarum conflictus? Quid tam inuoluens rerum ſermonumq; rotatio? Quippe ut hoc ęnigma ſoluatur, opus erit Oedipo pariter et Apolline delphico. Ideo hoc ęnigma iam primo uideamus: ac deinde cætera conſyderemus. Sed ut de huius rei uaria intelligentia, poſtea nihil rixemur: nec litigij quippiam deinceps ob hanc rem inter nos naſcatur: cōſtituamus iam primo, ut negocium ſe habet: nos modo loqui de adminiſtratione exteriore ſacramentorum: quia interius ſolus Chriſtus operatur: Cum igitur dicis, quantum ad miniſtrum attinet: abſoluit, et non abſoluit: baptizat, et non baptizat: pacificat, et non pacificat? Quid, rogo, his uerbis aliud uelis, niſi duo contradictoria: ſecundum eundem conſyderationis modum ſimul uera eſſe? Et maxime inter ſe pugnantia in una ſede conſiſtere? Atq; ex uno eodemq; ore, ignem et aquam pariter exufflare. Quia ſic in rerum pug-

nantijs

nantijs passim dementare semper tibi cordi fuit Luthere. Tantum ergo abest, ut uerba ista tibi subueniant: ut cõtra te stent fortiter Luthere: et nostras partes plurimum iuuent. Rursus ioco baptizans, baptizat quoad ministrũ: ut ipse affirmas: et etiam baptizat quoad Christum: quia per te, sola baptizati sufficit credulitas. omnifariam ergo baptizat. falsum ergo est, ꝙ non baptizat: nisi duo contraria uelis simul in rebus subsistere, et calorem cum algore pacem habere. Adeo non tam cum uero, q̃ etiam cum se ipso falsum crebro pugnat. Cur igitur nunc tam aperte ludis Luthere, tot inuolucris sermonum, tot conflictibus rerum, tot contradictionibus sententiarum: nisi ut proprios conatus stultus facessas irritos? Et iccirco pigeret me profecto, ista tecum modo disserere: nisi ꝙ aliquando pulcrum et iocundum fuerit, aliena insania frui. Et certe ingenium tibi Luthere si ęque ad proficiendum, atq; ad nocendum insitum fuisset: mihi tecum hodierna luce hoc negocium non foret: sed id missum faciamus. Postremo enim ais Luthere: Sufficit uncto uerbũ audire et credere: quicquid eni nos accepturos credimus: id accipimus: quia stat uerbum Christi: Fiat tibi sicut credidisti. Ecce, sola iam fide etiam informi et ociosa, saluari homines Luthere asseris: Immo esto, sit apud homines quispiam Caino malignior, sodomitis spurcior, Iuda auidior, Lucifero superbior: nihilo tamen minus tam facinoroso et perdito sine pœnitentia, sine bono opere, deniq; sine ulla emendandi uoluntate, libere concedis Luthere piorum sedes: modo ipse credat: Et cum malis operarijs profundum gehenne

baratrum, minatus est Christus, funestissimis tamen quibusque, summum polorum uerticem tu polliceris, si tamen illis fides sit prꝫsto, fidem solum habens, pro tuendorum scelerum asilo, eamque peccandi licentiam mortalibus constituens: quia stat, inquis, uerbum Christi: Fiat tibi, sicut credidisti. Et iterum superius ais: Nulla peccata possunt hominem damnare, nisi sola incredulitas. Non est ergo homo (ut mea fert opinio) naso tam puruleto, qui hanc tuam heresim euestigio non odorat esse pestilentissimam: utpote quæ humana simul et diuina confundat: dum fidem ipse constituis: uitiorum patrocinium et flagitiosissimę uitę propugnaculum: quam utique heresim hic non pręteruendam equidem putarem: nisi superius uno atque altero loco illam aperte satis eneruassem: et propterea id denuo hic non itero: ne remandere mansum uidear: aut prius ruminata nunc iterum ruminare. Illud tamen adhuc Dauidis non omittit elogium. Si iniquitatem aspexi in corde meo, inquit, non exaudiet dominus. Si enim Dauid constantissime credentem: sed iniquitatem in corde suo aspicientem, dominus non solum non saluabit: sed ne exaudiet quidem: hominem non tam sceleste cogitantem: quam nequiter operantem: etiam si bene credat: obsecro quando saluabit? Et icciroo in re tam clara et lucida, non opus est amplius tecum colluctari: Præsertim cum hæc heresis tua absurdior sit: quam ut ulla uideatur ratione confutanda, et certe apertiore impietate scelesta, quam quę ab aliquo sano capite credatur. Et tamen in hoc et aliis non paucis hæresum tuarum insaniis, sordidissimos quosdam hærere tibi au-

Psal. 65.

XX dio:

dio . quod miraculum quidem mihi non fuerit: quoniam ſicut nullum eſt tam impudens mendacium: quod teſte careat: ita nec ullus quidem tam impius error, cui fautor deeſſe poſſit. Et q̄q̄ Luthere tot et tanta bella aduerſus catholicam ueritatem moueris: nihil tamen adhuc prędę ceperis, de altiſſimis pugnante aduerſus te Chriſto, qui ſic caſtrorum tuorum pugnas diſpoſuit: ut cunctos tuorum telorum impetus, in proprium caput ipſe uerteres: nec aliter quidem uerteres, q̄ olim madionite: qui contra populum dei bellantes, proprijs ſeſe gladijs trucidabant. Et ideo pręſtabat te ocioſum fuiſſe Luthere: q̄ in animæ tuæ naufragium tam male negocioſum. Et cum endimione utiq; dormiſſe, q̄ tam impijs excubijs cum Iuda Scariotis ſic perperam uigilaſſe. Nec eſt ſane, cur tu aut commilitones tui, hic me ſermonis parū ornati inſimulent: quando ego in his rebus, non eloquentiam, ſed dumtaxat euangelicam ueritatem profitear. Et iccirco nec ſtudium nec molimen meum fuit, contra communem catholicę fidei inimicum, ornate et eloquenter, ſed ortodoxe et ueraciter diſſerere: ut ſuſceptum negocium nō eloquentia, ſed ipſa ueritas tueretur. Nec eget profecto catholica ueritas: ut uel Tullium uel Liuium aliquando ſpiret: modo Chriſtum redoleat. Nec certe iſta, quæ nunc aduerſus Lutherum nō minus uere, q̄ iuſte ſcripſerim: quiſquam amarulenta uocabit: niſi is, qui Luthero fauens, cum Luthero ſe percuſſum dolet. Neq; enim conuenit illi: qui, in apologijs ſuis, ut res ſuas defendat: in multos catholicos uirulētiam ſpirat: quam primum oportuerat in Lutherum exufflaſſe, illum

lum uocare amarulentum: qui hæreticum manifestarium, quadam charitatis acrimonia iuste coarguerit: nisi forte tam parum modestus fueris: ut medicum appelles amarulentum: qui ob morbi medelam, minus suauia languenti porrexerit: quo amarulento noie medicū uocare sane nō debueras: si consequendę salutis gratia, etiam aloes et absyntheum ęgroto propinasset.

LVTHERVS.

PRoprie ea sacramenta uocari uisum est: quæ annexis signis ꝓmissa sunt: quo fit: ut si rigide loqui uelimus: tantum duo sunt in ecclesia dei sacramenta, baptismus, et panis: cum in his solis et institutum diuinitus signum, et diuinam promissionem uideamus. Nam pœnitentia sacramentum, quia signo uisibili, et diuinitus instituto caret: dixi, aliud non esse q̄ uiam et reditū ad baptismum. Sed nec scolastici dicere possint suam diffinitionem posse conuenire pœnitentię: quia et ipsi sacramento signum uisibile ascribunt: quod formā ingerat sensibus eius rei: quā inuisibiliter operatur. At pœnitentia seu absolutio, nullū signum tale habet. quare ipsi pro diffinitione cogētur negare pœnitentiam esse sacramentum: et sic eorum munerum munere: aut aliam afferri sacramenti diffinitionem. Baptismus autem, quē toti uitę tribuimus: recte pro omnibus sacramentis satis erit.

POVELVS.

SI quis autem eorum, quæ iste bonus uir in principio scripserat: recte iam meminerit: comperiet nimirum, illum ab initio tria sacramenta posuisse (et ut eius uerbis

utar) baptiſmum, panem, pœnitentiam: ſed ea non niſi pro tempore. Nunc autem uenit tempus (Quia tempus omnia reuelat) quando nec illa tria ponit, imo nec eorum ullum, ſed omnia penitus de medio ſuffuratur: omnia demolitur et tollit. Homo plane de patria et gente ſua peſſime meritus: ut inde eo authore, hodie hęreſes et ſchiſmata emergant: unde olim fidei ſyncæritas, et eccleſiaſticę obedientiæ humilitas ſemper promanarunt. Et quamuis errores Lutheri inſana res eſſe conſtiterit: q̄ ut unq̄ poſſe recipi a ſuis credantur: modo uel euangelicæ ueritatis cognitio, aut certe ratio ulla in illis uigeat: uirus tamen letale porrexit: ſi occurreret: qui liguriret. Quoniam quemadmodum hoc in loco ſic baptiſmum laudat: ut pœnitentia et euchariſtia abſq; extrema iactura non euadant: ita plane et fidem extollit: ut cum pœnitentia et euchariſtia etiam baptiſmum exterminet. Iſta autem q̄ uera exiſtant: cuiuis (qui in meridie lucerna nō eget) facile uidere liceat: modo ea, quæ ſubinde dicit: accurata lance ſublibret. Nam primo e rebus pœnitentiæ ſacramentum rapit: quia ſigno, inquit, diuitus inſtituto caret: et ideo ſacramentū, inquit, eſſe nequeat. Deinde quidem et ſacramentum altaris ita amolitur: ut pro uniuerſis ſacramentis in tota uita hominis, ſolum baptiſmum abunde ſufficere cōtendit. Baptiſmus, inquit, quem toti uitæ tribuimus: recte pro omnibus ſacramentis ſatis erit. Hoc enim ipſum eſt: quod in exordio ipſe primo dixerat. Si uelim, inquit, uſu ſcripturæ loqui: non habeam niſi unum ſacramentum, et tria ſigna ſacramentalia; Nec tamen ubi ſit talis uſus ſcriptu-

ræ Proteus uersipellis nobis hactenus mõstrauit: nec quę sunt illa tria signa sacramentalia impostor dolosus hucusq; apperuit: nisi q; cæteris omnibus depopulatis sacramẽtis, eorum loco solum baptisma ab eo nunc suffectum existat. Et ideo si in sacramento pœnitentiæ procus iste austerus, signum diuinitus institutum tam seuere et rigide a nobis exigat: succurrat sibi iam primo in mentem, si tamẽ ulla sibi mens sit, qui sanam amisit; illum tria signa sacramentalia ab initio posuisse, et hactenus nobis nisi duo pdidisse: alterum in baptismo, alterum uero in sacramento altaris. Ostẽdat ergo modo nobis, pensum persoluens, si mẽdax non sit: etiam et tertiũ signum sacramentale: ut illud iam sacramento pœnitentiæ iungamus, uel certe cuiuis sacramento alij. Quod si tertium signum sacramentale nobis monstare non possit: falsitatis plane doli machinator arguitur: et patentissimi mendacij indubie cõdemnatur: nihil nobiscum agens, nisi fide punica: quin et magis quoq; Pharaonis per omnia factus est similis: quia et ipsi defecerũt in tertio signo. Itaq; dolo et mendacijs iam passim fruitur: ut sacramentorum euersione tandem potiatur. Cæterum his obiter perstrictis, quo digressi sumus: reuertamur. Cæteris namq; amotis sacramentis, solum baptisma pro ominibus surrogat: Baptismus, quẽ toti uitæ tribuimus, inquit, recte pro omnibus sacramentis satis erit. Et tamen postremo nec sacramento baptismi dignatur: sed tandem pro cunctis paulatim sublatis: solam fidem copiose sufficere decertat: Quia stat, inquit, uerbũ Christi: Fiat tibi, sicut credidisti. Et iterum superius ait. Matthęi. 8.

Vide, tantum ne uilem habeas fidem: cæteris omnibus si caruetis, saluaberis. Quamobrē si baptismus pro omnibus sacramentis satis erit: precor, reliqua sacramenta hodie quo abierunt? ad quam usq; patriam iam commigrarunt? Quin et si solam fidem habens, cæteris autem omnibus carens (ut Lutherus ait) saluabitur: quorsum cum cæteris sacramentis etiam ipse baptismus ab ecclesia nunc auolauerit? Quando auulsis omnibus, sola fide homines, authore Luthero, salui emerserint: ac etiam demū ipsam quoq; fidem, quam, rogo, eam esse asseuerat Lutherus? Nimirum non aliam, q̃ absq; bonis operibus informem, ac citra omnē bonam actionem, certe inanem, atq; penitus ociosam: quemadmodum superius ipse tumultuabat: Opera, inquit, nostra deus nihil curat: nec eis indiget: indiget autem nostra fide: ut in suis promissis uerax a nobis habeatur. Proinde attendite precor, ueterator iste omnia atramento q̃ pulcre candefacit: Nam eliminatis primo (quantum per eum stabat) uniuersis ecclesiæ sacramentis, ac eorum loco sola inducta fide, usq; adeo etiam fidem extinxerat: ut fidem aliam ad ęternam salutem hominibus necessariam esse, ipse dixerat nullam: nisi quam sine operibus bonis in inferno etiam ipsi dęmones habeant: Quia

Iacobi. 2. dęmones credunt, et contremiscunt. Quia fieri profecto non potuit: ut res auibus auspicata tam malis, alijs finiretur q̃ infaustis: adeo una semel admissa hęrese, aliæ statim plures accrescunt. Itaq; in hoc opere, si tamen opus appellari debeat: quod nec alio q̃ flammis sit dignū: Nam a capite ad calcem usq;, Lutherus quid aliud conatur, q̃ erores

rores ſpergere, mendacia ſeminare, ſcripturas inuertere, et omnia ſacramenta ſimul cum ſide prorſus ſuppeditare? Tantum abeſt, ut uel fidei, uel chriſtianæ religioni bene eſſe cupiat: Et ideo uidetis nunc, q̃ nihil ipſe prębuerit: qui montes toties pollicitus eſt aureos: hoc enim ſolum pręſtitit, ut ea omnia, quæ uel ad humanam ſalutem, uel diuinum honorem attinerent. Cum uniuerſis ſacramantis pariter et uera ſide, quoad potuit, ſubuertere enitatur: ut nemo ſit: qui ſano oculo uiderit: quin illum q̃ uehemẽtiſſime execrandum abhorrendumq́; eſſe facile cenſeat. Et ideo cum in omnium catholicorum odium Lutherus modo prorſus deuenerit: commeritas profecto nequitiæ ſuæ pœnas dedit iam uiuus: qui etiam nec mortuus, diuinæ iuſticię manum effugiet. Cæterum Lutheri libellos, porro peſtiferis reſperſos uenenis, cum iampridem accurate uigilanterq́; perlegiſſem: non tam quidem in ortis adonidis infructuoſis, q̃ in ortis Tantali pernicioſiſſimis: ubi præ nimia bonorum omnium inedia pereundum fuerat: ſum mihi equidem uiſus ambulare: quando illic plane, uix ulla ſeminata uiderim: quæ nõ factiones, hęreſes, et ſchiſmata ſaperent: Quod ſi aliqua catholica et uериſimilia, aliсunde ſcripſerit: uenenum haud dubie fauo litum, maiore illic aſtu, q̃ conſequi uerbis poſſum: occultat: tantũ ut catholicis obſit, homo impius laborat. Et iccirco cunctis chriſtianis eius libellos, in quibus pene nihil ſubeſt: in quo non ſit mentitum: aut certe grauiter erratũ: haud ſecus q̃ baſiliſcum, qui ſolo uiſu enecat: diligenter uitare iam conſulo. Nam in ſingulis, quæ ſcribit: hunc unũ ſibi

ſcopum

ſcopum paſſim prȩfixit: ut non tam orthodoxȩ ſidei deroget: q̃ uniuerſȩ eccleſiȩ ſacramenta prorſus eneruet: liberum arbitrium tollat: et omnia ex neceſſitate euenire contendat: homo totus ad nocendum uerſus, atq; ad premendam Chriſti fidem, et amolienda quoq; ſacramenta, adeo impenſe deditus: ut nihil prorſus ſit, quod ardentiore ſtudio anhelet: nihil, quod maiore ambitiõe affectet: licet inani ſpe calet, erepto e faucibus bolo. Proinde de hȩreſibus, de uerborum ac ſententiarum pugnis, de errorum inſanijs, deniq; de ſcripturis ui tortis et male impuratis, pauca iſta leniter et curſim tetigiſſe modo ſufficiat. Quoniam ſi cunctas errorum Lutheri myriades, quas ſicut alij eius libelli, ita et prȩſens habet: taxarem: opus hoc plane ſupra omnem modum in immenſum creſceret. Quamobrem commodius ea relinquo alijs diſcutienda: quibus nequaq̃ poterit eſſe difficile: ut dilucide uideant, non ſolum quomodo ad ſui munimen erroris Lutherus ſcripturas, in obliquum flectit: et a dextro in ſiniſtrum impie contorquet: ſed etiam q̃ crebris et eiſdem ſententijs apertiſſime contradictorijs, undequaq; ſeipſum illaqueat. Cæterum q̃uis ingenue fatear contra grauia Lutheranȩ impietatis uulnera, me grauia hic appoſuiſſe malagmata: par tamen non eſt uel ȩquum: ut ego eam ob rem tanq̃ aſper aut amarulentus inculper: aut certe ob id quis me acetoſum appellet: non magis profecto, q̃ is demum ingratus aut inhumanus cenſendus ſit, qui ob curandum cancerem, ima cutis urit: aut certe ſanitatis cauſa, ut ulceris ſaniem eradat: intima putrede carnis ferro profunde rimetur et penitret,

nitret. Nec equidem aduersus Martinum quicquã scripsi: quod salutis suę causa non feci: q̃q̃ etiam scribendo, mitior fui Martino, q̃ ipse Martinus: qui contradicentiũ sermonum spiculis nullibi se ipsum non confodit. Nec certe mihi uitio uertendum fuisset: si in eum etiam longe maiore acrimonia scripsissem. Quoniam tametsi nostris semper fuerit ignoscendum iniurijs, diuinis tamen nunq̃. Neq; enim Moyses, qui populo uolenti eum lapidare facile condonauit: plebi idolatranti unq̃ pepercerit: sed dire in illũ deseuit, diuinã iniuriam nullo pacto ferẽs. Simul et Christus malum genium, qui illum temtauerat: licet illius impetus tantisper ęque tulerit: dum a diuina iniuria abstineret: tamen ubi semel sibi arrogare diuinum honorem ceperat: mox asperis illum uerbis percussit. Vade inquit sathanas, dominũ deum adorabis, et illi soli seruies: id quod alias sępissime fecisse Christum ipsa eũãgelia testantur: in quibus uocat ipse hebreorũ gentẽ, ob eorum impietatem, populum neq̃ et infidelem, generationem adulterã et incredulam. quo doceret christianos, quicquid ĩ proprijs iniurijs egerint: in diuinis tamen nõ esse catholicis ullo pacto cõniuendum: sed pro superni numinis tuendo honore semper sic elaborandum fore: ut nec amicis, si impie et non orthodoxe egerint, parcamus: neq; Christi hostes in hoc redarguere metuamus. Vnde et poterã ego quidem, si Luthero uel suis fauerem (quod impijssimũ semp̱ duxi) etiam sub aliorum personis sub tacito nomine meo, aduersus illum dialogum edere: quo Lutheri et suorum odium cito uitarẽ, ac sub modestię et caritatis specie sic rem agere:

Exo. 32.

Matthęi. 4.

ut nec Luthero multũ displicerẽ, nec catholicos offenderẽ: sed tanq̃ Proteum quenpiã utrobiq; in Lutherum tam ancipite pugna dimicare: ut et catholicę ueritatis amicus putarer: et tamen opem occulte Luthero ferrem subsidiariã: dum ultro citroq; pro utraq; parte conflictans, et nihil uel parum diffiniens, difficillima quęq; (quod Luthero et suis maxime placeret) pro dubijs et incertis relinquerem. Quã artem illi, qui Luthero et suis uel fauet uel timet, ualde idoneam puto: illis autem, qui se catholicos monstrare uolunt, et lutheranę impietatis hostes, nequaq̃ conuenire. Et ob id nunq̃ mei instituti fuit: ut personatus sub aliorũ nominibus, quo hęreticorum maladicentiam fugerem, dialogum in hac re conderem: sed ueluti christianus, qui citra fucum sit fidelis, nec hæreticorum latratus formidans, contra apertos Lutheri errores in aperto campo preliari. Id quod contra priscos hęreticę prauitatis authores, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, et alios doctissimos quosq; catholicos, qui hæreticis nunq̃ pepercerunt, olim fecisse, eorũ opera produt. Nec est cur nũc iuste miretur quispiam: q̃ ego ueterũ ac probatissimorũ uirorũ authoritate, hactenus nõ fuerim Lutherũ aggressus. Quod siquidem triplex ratio effecit: partim q̃ liber iste, si id fieret, supra modum in longum tenderetur: partim q̃ Roffensis episcopus uir sane diuinis et humanis litteris admodum eruditus, id in libro, quem aduersus lutheranas assertiones doctissime conscripserit, cõsummate et copiose expleuerit. at multo omnium maxime, quod priscorum omnium sententias quantumlibet retroseculis laudatas, usq;

adeo

adeo non admittit Lutherus: ut nihil in illis non ſpernat, quod canonicę authoritatis robore nō fuerit patenter munitum. Et propterea caſſo labore in hac re uiderer omnino eniti: ſi alijs q̃ canonicis ſcripturis, eū reuincere ſudarem. Quæ res effecit: ut ego ſanctorum authoritates, quas tam floccifacit Lutherus relinquēs, et ſua ſibi paſſim obiectās, ad ſolos canones iam ſtilū arctauerim: eo pacto fore ſperans, ut deo illo propicio, tandem reſipiſcat. Quod eo facilius fiet: quo ea pacientius legerit: quæ aduerſus errores ſuos a multis doctiſſimis uiris iā ſcripta prodierunt: Quoniam mea quidem ſentētia, in nulla unq̃ alia re potuit ſeruator noſter Chriſtus, apertius oſtendere, ſe uelle Lutherum errorem ſuum cognoſcere, et cunctos chriſtianos illius errores cauere: q̃ cum paſſus fuerit Martinum a Martino toties uapulare, et Lutherum a Luthero ſuis uerbis tam frequenter feriri et cedi: ut dum Lutherum Luthero non quadrare, nec uerba ſua ſibi cohęrere catholici aperte explorarent: mox id genus dogma, quod utrobiq; cum ſe ipſo pugnat, falſum et mendax eſſe, clare cognoſcerent: et Lutherus pudore ſuffuſus, reiecto impietatis ſuæ errore, tandem ad catholicam fidem pœnitens rediret. Quamobrem mi frater Luthere qui ſeptem ſacramenta ſurripere eccleſię, tot modis machinatus fueris: et ut celerius id patrares, non tam doctores repuleris catholicos, q̃ rectum ſcripturæ ſenſum undequaq; inuerteris: cui obſecro ęquius comparare, aut accōmodate magis aſſimilare poſſum, q̃ Achan hebreo? qui furatus eſt pallium coccineum et regulam auream de anathemate domini. Nam quo, precor, Ioſue. 7.

uesturę genere, sponsa Christi ecclesia, uel ornatius uel splendidius aliquando induta extiterit, q̃ septem sacramẽtis, sanguinea Christi passione rubricatis, et in cruentato sui lateris uulnere tanq̃ in uermiculo tinctis? Pallium sane hoc coccineum tale ac tantum, furari pro uirili molitus fueris. Nec eo fuisti latrocinio contentus: nisi etiam et regulam auream ecclesiæ furto detrahere mira calliditate laborares. Nam quid, quæso, christianum hominem, ut deũ per fidem bene noscat: uerius tanq̃ norma dirigit: aut ut deum per charitatem ardenter diligat: rectius ceu perpendiculum gubernat, q̃ sola scriptura? quæ ueluti amussis æquissima hominem diuinę uoluntati per omnia quadrat: Et tñ regulam hanc aureã talem et tã preciosam, torquendo, inuertendo, uitiando, deprauando rapere nõ es ueritus Luthere. At dominus deus Israel mandans Iosue,
Iosue. 7. dixit: Quicumq; hoc facinore deprehensus fuerit, cõburatur igne cum omni substãcia sua. Ego tamen Luthere, tibi tanta tamq; preciosa furato, non equidem ignem, nõ faces, sed sensum sanum et mentem catholicam opto. ut Christus, qui latronem etiam in patibulo pendentem, clementer uocauit ad pœnitentiam: ipse similiter et misertus tui, resipiscendi tibi gratiam præstet: et denuo ad suum ouile misericorditer pius dominus reducat. Vt demum pro te oue perdita, sed tandem inuenta, ille gaudere possit: qui de faucibus lupi perditam ouem suo sanguine redemit. Nec enim Luthere non diligentissime te quęsiuit ille: qui te tot pœnis et miserijs tam frequenter admonuit: et te tua lingua toties percussit. Reuertere ergo reuertere:

ut qui

ut qui per multas terras iam diu euagatus es, cęlum sæpe mutans, muta uel semel animũ, et cum Manasse in sacco et cinere tandem pœnitentiam age. Nostin quid Achan illi hebreo, qui totã turbauit synagogam, quondam dux Iosue dixerit? Confitere fili mi, inquit, et da gloriam deo, indica, quid feceris, et ne abscondas. Ad hęc autem rursus quid duci Iosue, Achan ille hebreorũ populi turbator responderit, legistin? Vere, inquit, ego peccaui domino deo Israel, et sic et sic feci. Cum tanta penitudine in facie synagogę piaculum confessus suum: ut uere salutis argumenta in eo non obscura apparerent. Non enim fieri unq̃ potuit: ut illi negaret deus sceleris remissionẽ: cui dederat cũ confessione pœnitentiam: utrumq; enim dei donum est. Quãobrem mi frater Luthere, q̃uis sicut Achan ille olim synagogam: ita tu hodie Christi turbasti ecclesiam: tamẽ reuertere, et da gloriam deo: ac pœnitens confitere reatũ tuum Christo et ecclesię: ut ille tanq̃ misericors dominus tibi scelus remittat: et ipsa tanq̃ mater pia denuo in gremium te benigne recipiat: Non enim filium prodigum cum confessione et pęnitentia redeuntem aliquando auersatus est pater: nec potest ecclesia mater tua nõ miserere filij uteri sui. Reuerte igitur, et ne contristes matrem, nec contemnas misericordiã patris tui: Quod ne faceres scriptura mandauit: et pientissimus ille Anglorum rex, in libro, quem in te doctissime ędidit: benigne admonuit: et certe non minus ingenue, q̃ olim admonuit dux Iosue Achan hebreum: quem super pallij coccinei, et aureæ regulæ furto primum generosa prudentia interrogauit, deinde in- Iosue 7.

terrogatum, sacrilegij iuste conuicit. postremo conuictũ, ut ęquitas ipsa postulabat, flammis absumi iussit. huic haud dispar quidem est: quod in hunc librum tuum, qui totus babiloniã spirat: effecit tanq̃ Iosue quispiam, christianissimus ille Anglorum rex Henricus: qui codicillum tuum pręstantissimo ingenio ac pari scripturarum doctrina examinans: sic eius sophismata dissoluit: sic eius technas nudauit: sic eius hęreses, scripturæ specie fucatas in lucem exposuit: ut et librum pariter et authorem, faces ac ignem meruisse, non tam apertis scripturis, q̃ ualidissimis rationibus egregie probaret: hoc autem q̃ uerum sit, non erit difficile uidere: si eius librum, quem in te plurimũ erudite digesserit: non impatiente et indignabundo: sed pacato et tranquillo animo legeris. Non Luthere quod te oderit: cum sit rex sicut ab omni liuore et odio alienus, ita omni charitate refertus: Sed quod Christi dilectatione motus, pandens errores tuos tibi, salutem tuam solicitus quærebat: hoc sibi pro magnis deliciis ęstimans, si ab errore tuo te quiuerit reuocare, et reuocatum ad catholicam fidem denuo habere reducem. In quo profecto, quemadmodum tu plurimum illi debes: ita reuera et cunctos christianos principes immortalium gratiarum sibi fecit debitores: non solum quod Christi religionem, quam professi sunt: ab hęretico insultu pulcherrimis scriptis fortiter propugnauerit: sed etiam quod omnium christianorũ principum maiestatem, tam egregie opere plurimum ornauerit: et sic quidem ornauerit: ut et illis per q̃ gloriosum sit, inter se, in ijs quę heroica sunt, tam florentẽ habere prin-

cipem

cipem, et catholicę ecclesię honorabilē admodum, eum educasse regē: qui in tuenda orthodoxia doctissimos quosq;, scribendo pręuenit, et pręuentos, ad scribendum non tam inuitauit, q̃ etiam animauit. Quod facinus pręclarū, sicut nec in mundo laude: ita nec in cęlo possit mercede carere: Quia bonorum laborum gloriosus est fructus. Cęterū q̃uis Lutherus (quod ipsum suspiciōe pessima quaq; dignū facit) operum suorum censorem fore, non summū pontificē, non episcopos, non deniq; catholicos ullos admittat: Ego tamen id ipsum usq; adeo horreo, detestorq;: ut mihi plane uideatut ab orthodoxo homine alienū magis nihil. Et iccirco si in ijs, quę iam uel obiter uel ad rem a me disputata fuere: aliqua fortasse minus perite, minus ue integre, q̃ tam onerosa scribendarum rerum sarcina deposcit, scripserim: quoniam mortalium nemo est, qui omnibus horis ęque sapit: quando bonus aliquando dormitat Homerus: Ecclesię tamen iudicio, in cunctis me libēter subicio: nec catholicos recuso ullos, quo minus de illis sententiam libere ferant: modo iudices eos habeam nō liuidos, sed candidos et benignos. q̃q̃ non ignoro, q̃ fuerit difficile, in rebus prę sertim tam arduis, omnia ad quadrū ita concinnari: ut in illis nihil subsit, quod momus nō carpat. Proinde ego iam amplius disserendi conta Lutherū de summo sacerdotio euangelico, de uero sacramentorum septenario hic finem facio: candidos lectores unice rogans: ut ista nō molesto, sed grato et sereno animo legāt: Quæ tametsi tullianam eloquentiam non spirant, tamen ueritatem euangelicam, quæ uerborum fucis non eget, ipsa

Sapiētię. 3.

ipsa quidem olent. In quibus si non omnia tam comsummate: ut tanta res postulat, et conatus ac studium meum fuit: feci: doctioribus tamen, qui in hac re altius sapiunt: ut contra Lutherum meliora agāt: occasionem certe pręstiti. Verum ista quātulacumq; fuerint: ut audacius prodeant in publicum: non putaui meo aut paucorum iudicio standum: sed tanti negocij examen Oxoniensium censurę, apud quos et diuinarum et humanarum rerum cognitio egregie semper resplenduit, omnino committendum: ut ea, quæ nunc in Lutherum scripserim: eorum iudicio et discretionis lance primum trutinata: ac postea, si illis placeat, pari authoritate comprobata, et legentibus acceptiora, et a detrahentium linguis in lucem procedant tutiora: ut soli deo sit honor et gloria in secula seculorū. Amen.

Opus orthodoxum, pro summi sacerdotij euangelici et septem sacramentorum defensione, aduersus Martinum Lutherum, nuper ęditum per Edouerdum Pouelum anglum, et Ecclesiæ Cathedralis Sarum canonicum residētiarium. Impressum Londini in ędibus Pynsonianis An. uerbi incarnati. M. D. XXIII. Tertio no. Decemb.

DETEGITVR HIC A QVIBVS HAE resiarchis, suos in hoc libello errores, frater Lutherus mendicauit.

INTER sectas hæreticorũ ueteres, quas si recenseas: octoginta reperies: quãq̃ perrarus fuerit hæresiarcha, cũ quo, in uno aut altero errore Lutherus non conueniat: Præsertim si singulos quos sparsim scripserit impios libellos, uigili studio uestigaueris: Tamen quia singula eius per ordinem errata, nũc ad calculum uocare, seu etiam ea, in quibus cum cæteris heresiarchis concordat, uel leuiter contingere, longum foret atq; tediosum, et ferme oceani numerare arenas: propterea ego iam alios eius codiculos, quos impia lucubratio excuderit, consulto præteriens: hũc mihi modum statuo: ut in hoc uno libello, qui Babylonico fetore totus male olet: in q̃ multis erroribus, ipse alijs hęreticis se sociat: iam succincto sermone expediam. Nam ut de Viclefanis, quorum erratibus pertinace animo nusq̃ nõ hęret: hic sileam. Accedit in primis ad Arrianos: quoniã dum diuinam naturam, generare simul et generari contendit: nec ratione aliqua cõprehendi potest: ut ulla substantia seipsam gignat: citra dubitationem in cõfesso est, Lutherum cum Arrianis in diuinis personis substantiam seperare. Deinde Heluidio, qui contra deiparæ uirginitatem perpetuam non pauca impie affirmat: Lutherus rogo qualiter se socium ac comitem nõ pręstat? Namq; cum explorata res sit, sacra uolumina nusq̃ dilucide probare, uirginalem in Christigera candorem, intactũ semper mansisse

sisse: et Lutherus ipse in ecclesia dei, nihil credendum do-
cet: quod apertis clarisque scripturis non fuerit euiden-
ter monstratum: quis est, precor, pupilla tam cæcutiente:
ut non confestim uideat, Lutherum non credere, in deife-
ra perpetuo perseuerasse uirginitatis pudorem? maxime
cum absq; manifestis scripturis ipse nihil credat. Rursus
et Lutherum plurimū delectat, Iouianistam uocari esseq;.
Quoniam qui celibatum auersatus, uxores ducere Chri-
sti sacerdotes admonet: et monasticā professas uitam ui-
ris copulari, et pudoris uota temerari iubet, id quod non
raro nec sine stomacho facit: in nullo plane Iouiniani nō
hæret errori: etiam ipso Iouiniano sceleratior. Ac interim
is qui spiritum Christi sanctum, non in uniuersalibus ec-
clesiæ consilijs esse: sed ad illustrandam scripturæ uerita-
tem in se solo fulsisse iactitat: Quod passim actitare, Lu-
thero perpetuus ferme mos est: quomodo, obsecro, post
Cathaphrigas, qui spiritum paracletum, non in aposto-
los: sed in sua descendisse consiliabula mentiti sunt: ipse
præceps non abijt? Simul autem et Faustum hæreticum
insignem, qui scripturas sacras haud secus esse interpretan
das, q̄ prima grammaticalis uerborum facies prætendit,
christianos docuerat: quod indubie illi multos et magnos
errores peperit: quomodo, precor, Lutherus sibi pro di-
dascalo non delegerit? quādo in simplicissimo sensu, ut ip-
sa prima uerborū uox sonat: omnia in diuinis literis expo-
nēda esse ipse omnino cōtendit: quod illi nimirū tā grauis
ruinæ non parua occasio fuit. Præterea Lutherus, qui an-
tea sediciose loqui, q̄ bene tacere didicit: multa contra su-
mum

mum pōtificem et sacramentorum indelibilem characte=
rem assidue oblatrat: in cunctis Nouacianorum astipu=
latus sententiæ. Ii enim propemodum in ipsis primis nas=
centis ecclesiæ Christi cunabulis, graui suscitato schisma=
te pro eorum magistro nouato, qui Petri inuadere sedem
moliebatur: Cornelium papam uirum scientia egregium,
uita et moribus clarum, qui postea pro Christo fortiter oc
cubuit: maledictis, conuitijs, turbelis, ut a summa ponti=
ficij sede eijcerent: diu non solum nullis medijs non ten=
tabant: sed etiam eorum schismatis nequitiam hæretica
impietate cumulantes, in errata collapsos rebaptizari de=
bere docebant. Horum uitam, mores, doctrinamq; Lu=
therus, per singula secutus: nō pontificem summum mo=
do, et reliquos omnes Ecclesiæ Christi episcopos, contu=
melijs et probris insequitur, in conuitiando Nouatianis
longe uirulentior: sed etiā in errorem relapsos, rursus esse
baptizandos haud clam docet. quia pœnitentiam non a=
liud q̄ uiam esse ad baptismum contendens: characterem
in baptismo indelibilem prorsus negat. Et ideo baptismū
in collapsis omnino esse iterandum: quandoquidem cau=
sa alia absq; dubitatione ab eo nulla fingi potest: baptis=
mus cur cum pœnitentia, extrema unctione, eucharistia,
et matrimonio repeti non debeat: nisi sola characteris in=
delibilitas: quod supra, libro tertio, enodatius, ex uerbis
Pauli, ad Ephes. primo euisceraimus: q̄q̄ nec de eo missę
canon cum pro defunctis oraret, ullo pacto siluit: Ait e=
nim: Memento domine animarum, quæ nos processerūt
cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Si enim chri

 stianæ

ſtianæ defunctorum animæ inſtruente miſſæ canone, abi=
erunt cum ſigno fidei, quo in baptiſmo ſignatæ fuere:
cum tale ſignum fidei in anima ſemper manens, aliud non
ſit q̃ character: quis rogo, non uidet primitiuam eccleſiã,
quæ miſſæ canonem nobis tradidit: palam docere, chara=
cterem in baptiſmo indeliſbilem donari? quod Lutherus
it penitus inficias, nec Paulo, nec miſſæ canoni acquieſ=
cens: proinde characterem non admittens indelibilem,
quid aliud docet, q̃ lapſorũ rebaptizationem? factus ho=
die non ſolum Arrianus, Heluidianus, Viclefanus, Io=
uioniſta, Fauſti auditor, et inter Cathaphrigas Montani
diſcipulus: ſed etiam inter factioſos, egregius Nouatia=
nus. Et cum tot et tam impios monitores, unde errores
diſcat, habeat, omnes tamen præceptores ſuos, malitia et
maledicentia ſuperat. Talibus ergo dogmatis, ut iam
cernere poteſtis, Lutherus ſuos paſcit: ut de area eius ede=
re, aut de torculari bibere aliud q̃ letale uirus, poterit pro=
fecto nemo. Iterum cum Mathematicis, qui fati et con=
ſtellationum neceſſitate aurigari et regi omnia humana
concertant: noluit ipſe non grande commercium habere.
quando in mortalibus ipſe liberum non admittens arbi=
trium: homines ad ſingula adminiſtranda, ſuperiori po=
teſtate impelli uehemẽter contendit. Deinceps Aerianis,
qui ab Aerio ſic nominati, ſacrificiũ pro defunctis non of=
ferunt: nec offerendum cenſeunt: quomodo rogo, ipſe nõ
quadrat? qui Aerianis ſceleſtior, euchariſtiam tanq̃ ec=
cleſiæ Chriſti ſacrificium, nec pro uiuis nec pro defunctis
unquam offerendum eſſe impie præſcripſerit? quod paulo
ante,

ante, in ſecundo libro, abunde confutauimus. Nec omiſit cum Eunomianis, qui permanentibus in fide nullũ imputari peccatum uolunt: communicare ſedulo: cum nullum piaculi genus, citra infidelitatem poſſe Chriſtianum hominem damnare, ipſe acriter cauſetur: ſed uiris quantumlibet funeſtis et impijs, qui ęternas meruere flammas, beatorum ſedes libere tribuit: modo credant. Taceo Ebionitas, Fotinianos, et alios hæreticos non paucos, carbone notandos: quorum dogmata, ſicut Lutherus ſtudioſe didicit: ita ferme in nullo cum illis non conſentit. Et ideo ex omnium pene hæreticorum lino et lana ſibi ueſtem texens, alienis erroribus euaſit locuples: adeo cupit Lutherus cũctorum hæreticorum inſanijs uideri inſignis: cum Heroſtrato ſibi gloriã quęrens.

ADMONITIO AD LECTOREM.

VNVM eſt mi candide lector, quod te iam unice rogo: ne hoc opus utcunq; ęditum tibi antea in manus legendum ſumas: q̃ ſingula typographi errata, quæ nec pauca nec parua ſunt: uti in Indice uidere poteris: diligenter caſtigaueris. at eo ſane pacto fiet: ut et authori rem admodum gratam facias, et quæ hic ſcribuntur, etiam facilius intelligas.

SEQVITVR INDEX ERRATORVM TYPOGRAPHI.

ERRATA EPISTOLAE ET PRAEFATIONIS.

¶FOLIO ſecundo, pagina ſecunda, linea tertia, lege, nec caret. Linea.20.lege, ex eo fortiſſimus quiſq;. Folio tertio pagina prima, linea ſecunda, lege, et illud. Pagina ſecunda, linea quarta, lege, Salomonicum.

PRIMI LIBRI ERRATA.

¶Folio quinto, pagina prima, linea.2.lege, uideat. Folio 6.pa.2.li.11.lege, contendit. fo.7.pa.1.li.7.lege, probare. pa.2.li.2.lege, errorum. fo.9.pag.1.li.19.lege, de iure naturæ. li.22.lege, tantopere. fo.10.pag.1.li.18. ſuperabundat, eum. pa.2. pro ſaltauit, lege, exiliuit. li.11. lege, curauit. li. 23.lege ſic, res typum, figuratum ipſam figuram longe ſuperaret fo.13.pag.1.li.13.lege, Synagogę. li.2. absterge ac. fo.14.pa.2.li.2.lege, cæſarie Phelippi. fo.15 pa.2 li.6.lege, opponat. fo.16.pa.1.li.17. lege, Simulac uero Synagogā. pa.2.li.10. et.11.lege ſic, Magnæ eſſe arrogantiæ nimirum intelligens. fo.17.pagina ſecunda, li.12.lege, delectatus eſt rex regū. fo.20.pa.prima, li.quarta, lege ſic, in gubernando Chriſti corpus miſticum. pagina ſecunda, li.16. lege ſic, Soluere et remittere.

Secundi

SECVNDI LIBRI ERRATA.

¶Folio.26.pa.1.li.19.lege, temperans. fo.28.pa.1.li.16.le. grecorum.pa.2.li.11.le.interrogare.li.21. lege sic, atq; domino meo Luthero stipulari.fo.29.pa.2.li.13.lege, negari.fo. 30.pa.1.li.13.lege, argutule.li.25.lege,neniarum. fo.30.pa. 1.li.26.lege,controuersiam. pa.2.li.6.lege, presertim. li.12. pro Thamar, lege, Raab.fo.34.pa.1.li.19.lege sic, pro uni autem specie sola.li.25.et.26.lege sic,pro altera uero specie sola.fo.35.pa.1.li.18.lege, decreta.li.23.lege, adeo. pa.2. li 25.lege, commōstrant.fo.36.pa.1.li.2.lege,hierosolimis. li.4.lege, despicerētur.li 18.lege.hierosolimis.fo.37.pa.1. li.1.lege, aliū dabit paracletum. li.14.lege, spiritui sancto. li.15.lege,plenis uelis. pa.2.li.25.lege sic, discipulis mandauit.fo.38.pagina.2.li.1.lege, obseruari noluerunt.li.9.lege dilatauerunt.li.23.lege, et apostolica. fo.39.pa.1.li,20.lege ad amussim.pa.2.li.17.lege, dissidio.fo.41.pa.1. li.4.lege, suffuratus est. li.penultima, lege, Laodicium.pa.2.li.13.le. omousyon.li.14. lege, ad proteruiendum accincto.li. 24. lege, euangelijs.fo.42.pa.1.li.25.lege, patentes clareq;.pa. 2.li.19.lege, sophistissimus. fo.43.pa.2.li. 12. lege, simplicissimo. fo.45.pa.2.li.18. lege, uidisse.li.24. lege, similitudo.li. penultima,lege, proprietates.fo.46.pa.2.li.23.lege, corpus Christi.fo,47.in margine, lege, fallitur Lutherus. fo.48.pa.2.li.10.lege, quemadmodum. fo.51.pa.1.li. ultima, lege,crebrius. fo.53.in margine, lege, lepos. fo 56.pa. 1.li.10. lege, sacrificium. fo.60.pa.1.li.6. lege, indeficiens.

fo.

Fo.61.pa.1.li.4.lege, psalmista. li.5. lege, Salomonicum. fo.64.pa.1.li.17.lege, ostendat. fo.66.pa.2.li.22.lege, humeros. fo.68.pa.1.li.22. lege, irrepat. fo.70.pa.1.li.26.lege. leuiticus.

TERTII LIBRI ERRATA.

¶Folio.71.pa.2.li.20. lege, ab eo res agi. fo.72.pa.2.li.25. lege sic, secundam post naufragium tabulam. li. 26. lege, baptismum. fo.73,pa.2.li.ultima, lege, lauet. fo.74.pa.1. li.12.lege, Hieronymo, li.21.lege, maledictis. fo.75. pa.2. li.1.lege, redegit. fo.76.pa.2.li.6.lege, manicheo.li.8.lege, Manicheus. fo.77.pa.2.li.25.lege, contremiscunt. fo.79. pa.2.li.14.lege, quid est precor. li.16. et.17.lege, rem typo, figuratũ figura, in margine, lege, sponsio legis. fo.80.pa. 1.li.17.lege, ueritatem. fo.81.pa.1.li.24.lege, genius malus. pa.2.li.3.lege, descendens.li.6.lege, maximo. fo.83.pa.2.li. 1.lege, temperaret. fo.84.pa.2.li.10.lege, baptismus. fo.85. pa.1.li.19. lege, sacramento. fo.86. pa.1.li.25. lege, Postremo.pa.2.li.6.lege, psalmographus. fo.87.pa.2.li.24.lege, commiserit. fo.88.pa.2.li. ultima, lege, uerum enim uero. fo.91.pa.2.li.26.lege, habete. fo.92.pa.1.li.ultima, lege, ecclesia.pa.2.li.1.lege, afflictis. fo.93.pa.2.li. 8.lege, oportere. fo.94.pa.1.li.9.lege, in transuersum. li.ultima, lege, cadãt. et, resuscitatum. pa.2.li.1.lege, ab apostolis. fo.95.pa.2.li. 6.lege, psalmographus.li.11.lege, percipe. li.19. lege, percipe obsecrationem. fo.96. pa.1.li.20.lege, cathalogus. fo. 97.pa.1.li.14.lege, idolothita.li.25.lege, sophistica.pa.2.li.

penultima

penultima, lege, seuerissima. fo.98.pa.1.li.penultima, lege
tergi. fo.102.pa.1.li.4.lege, figuram. li. ultima, exuberat,
eorum.fo.103.pa.2.li.25.lege, pluuia.fo.104.pa.1.li.22.lege
phariseorum.pa.2.li.9. lege, accipere. fo.105.pa.2.li.23.le.
controuersiam. fo.108. in margine, lege, dolo structa. fo.
109.pa.2.li.25.lege, phaleris. fo.110.pa.2.li. 23. lege, idolo=
latria.fo.111.pa.1.li.6.lege, descendentis.li.21.lege, auertas.
fo.112.pa.2.li.21.lege, christianismum. fo,113.pa.1.li.1. lege,
omni creaturæ humanę.pa.2.li.23.lege, diuortium.fo.114.
pa.1.li.11.lege, christianum.fo.115.pa.2.li.22.lege, obtempe
rare. fo.116. pa.1.li.3.lege, aut cucurrissem. fo.120. pa.1.li.
19.lege ex antiquis haberi.li.23.lege, si quicq̄ ciuilis animi.
li.ultima, lege, manus nemini. fo.122.pa.1.li.22. lege, gra=
tiam ubertim donari. fo.123.pa.2.li.19.lege, inserta.fo.126.
pa.2.li.1.lege, fore. fo.127. pa.1.li.7. lege, apprehendunt.
fo.130.pa.1.li.26.lege, archiepiscopum. fo.131.pa.1.li.22.le.
mouet.fo.132.pa.2.li.25.le.didascalo.fo.133. pa.2.li.8.lege,
debuerant. fo.134.pa.1.li.21.lege, hęreditatem.fo.135.pa.2.
li.1.lege, pugnant. fo.136.pa.2.li.7.lege, haberet. fo.137.
pa.1.li.2.lege, poteris.fo.142.pa.1.li.16.lege, e sacris literis.
pa.2.li.6.lege, addiscere. fo.143.pa.2.li.17.lege, a propha=
nis. fo.144.pa.1.li.1.et.2. lege, contingi. fo.148. pa.2.li.25.
lege, sacerdotes. fo.149.pa.1.li.9.lege, ueluti.li.25 lege, cō=
uersionem. pag.2.li.penultima, absterge, de quo plura, et
quod sequitur illius capitis. fo.152.pa.1.li.3. lege, christia=
nus.li.10.lege, redemptionem acquisitionis.fo.153. pa.2.li.
ultima lege, tyrannidis. fo.154.pa.2.li.26.lege, decorū ser=
uat ordinem. fo.155.pa.1.li.12.lege, non eo minus. pa.2.li.
25.et